
V
B J
C
7493

CODEX
JUDICIARIUS
PRO
GALICIA OCCIDENTALI.



VIENNAE
TYPIS JOSEPHI HRASCHANZKY, Cæs.
Reg. Aulæ Typogr. Bibliop.

1797.

FRANCISCUS II.

Dei gratia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Rex Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Galiciæ & Lodomeriæ &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ & Lotharingiæ, Magnus Dux Hetruriæ &c. &c.

Quam a Nobis tutelam perſonarum & proprietatum populi Ga-

li-

liciæ Noſtræ occidentalis, introducta & ſtabilita æqua juſtitiæ adminiſtratione, merito exſpectant, eam retardare, dum codex judiciarius univerſalis provinciarum Noſtrarum hæreditariarum omnium bohemo - germanicarum ſanciatur, in animum noſtrum inducere haud quaquam potuimus; itaque præſentem Galiciæ Noſtræ occidentalis codicem judiciarium publicum facere, ipſius regni neceſſitate, decrevimus, ut a prima

Maji

Maji anni MDCCXCVII., cuicunque in judiciis regni iſtius aut jus quærendum, aut accipiendum, aut dicundum, aut ſententia executioni demandanda fuerit, codici huic judiciario adcurate obtemperet, legesque alias anteriores omnes in cauſſis nova hac lege judiciaria definitis & deciſis, quocunque demum nomine antea fuerint emanatæ, in perpetuum abrogatas & abolitas eſſe ſciat.

In

In caufis folis ante primam Maji a. MDCCXCVII. in judicio jam pendentibus codex judicialis anterior pro norma actionum hactenus erit: at vero in definitione fententiæ, introducenda adpellatione & revifione codex hic novus judiciorum lex & norma efto, quod et de arrefto feu cuftodia perfonali, de moratorio & de reftitutione in ftatum priorem edictum efto, quamvis jam ante pri-

mam

mam Maji a. MDCCXCVII. poſtulatum id in judicio fuiſſet.

Codicem porro hunc judiciarium commodo populorum Noſtrorum latine & polonice vulgari juſſimus, atque una declaramus, ſi forte in hac vel illa verſione dubium aliquod emergat, dubium illud ex archetypo germanico interpretandum & tollendum eſſe.

Dabamus in urbe Noſtra Metropoli & palatio Viennæ Auſtriæ

die

die 19. Decemb. a. MDCCXCVI.

imperii Nostri anno quinto.

FRANCISCUS.



Procopius Comes Lazanski
Reg^is^ Boh^iæ^ Sup^us^ & A. A. pr^mus^ Canc^ius^

Ad Mandatum Sacræ Cæs^o^.
Regiæ Majestatis proprium.
Lepoldus de Haan.

INDEX CAPITUM CODICIS.

CAPUT I.

CAPUT XXII.

CAPUT XXIII.

CAPUT XXIV.

CAPUT XXV.

CAPUT XXVI.

CAPUT XXVII.

CAPUT XXVIII.

CAPUT XXIX.

CAPUT XXX.

Pag.

CAPUT XXXI.

CAPUT XXXII.

CAPUT XXXIII.

CAPUT XXXIV.

CAPUT XXXV.

CAPUT XXXVI.

CAPUT XXXVII.

CAPUT XXXVIII.

CAPUT XXXIX.

CA-

CAPUT I.

De actione, ſeu proceſſu judiciali in genere.

§. 1.

Judex non niſi actione juris prius inſtituta judicato, nec unquam niſi ex præſcripto legis per ſe & ex officio agito; actionem actoris ad jus ſuum perſequendum oppido inhabilis, aut perſonæ, reive jurisdictioni ſuæ manifeſte non ſubditæ intentatam continuo repellito; legi judiciariæ aperte contrariam, ut rite & ad normam inſtituatur, edicito.

§. 2.

Pars utraque in judicio præter caſus hac lege diſerte exceptos, non plus duplici allegatione utitor, actor petitione & replicatione, reus exceptione & duplicatione.

§. 3.

Actor petitione ſua factum, unde jus ſibi aliquod adſtruit, cum omnibus circumſtantiis jus ſuum comprobantibus, ſervato temporis ordine, plene explicato.

§. 4.

Una eademque actione cauſſæ plures, ni inter ſe ita conjunctæ ſint, ut ex eodem facto enaſcantur, ſimul non inſtituuntor.

§. 5.

Reus ad circumſtantias facti omnes ab actore enunciatas clare & diſerte exceptione ſua reſpondeto; quod facto deerit, expleto; circumſtantias ab actore prætermiſſas, diſſimulatas, mutatas ex or-

ordine temporis explicato, non permiſſa penitus clauſula, quam vocant, negativa generali.

§. 6.

Poſtremo exceptiones, quae vel ad tempus, vel in perpetuum ab actore illum defendunt, actionemque perimunt, una allegatione omnes, dilatorias et peremtorias, in primis vero, quas ex ipſo facto derivat, reus exponito.

§. 7.

Actor actione, reus exceptione petita ſua clare et diſtincte enunciato.

§. 8.

Petitionem ipſam reſpectu rei, quam petit, et juris, quo agit, mutare actori fas non eſto, ſed redditis reo impenſis actione deſiſtito; actionem ob rem aliam, vel alio ex jure ejusdem rei inſtituere fas ei eſto.

§. 9.

Actor replicatione ſua circumſtantias facti rei exceptione explicatas ad normam §. 5. reſolvito; nec primæ allegationis ſuæ quidquam retexito, nec novi quidquam niſi ad reſolvendas rei exceptiones moveto.

§. 10.

Reus duplicatione novas facti circumſtantias, ſi quas ſecunda allegatione actor addiderit, ex præſcripto §. 5. refutato; novi adferre quidquam, niſi quod ad diluendas novas replicationis circumſtantias §. 9. permiſſas valeat, ipſe abſtineto.

§. 11.

Circumſtantiæ facti ab actore, reove pro ſe adductæ, adverſa allegatione vel ſilentio prætermiſſæ, vel dubie et obſcure perſtrictæ in definienda cauſſa pro veris habentor, quatenus probationibus actione tota pertractatis non contradicuntur.

§. 12.

Factum documentis & chartis, quamvis vel ex caussa jam judicata, vel pendente allegata, vel in actis judicii vel tanquam parti utrique communia in manu adversarii reposita sint, mandatis procurationis, jnrejurando, testimoniis, aut aliis probationibus instructum, nudum & ex ordine temporis, nec corollariis, nec topis ex jure arcessitis interpolatum proponitor, edito testium, si qui adferuntur, nomine, cognomine, conditione, munere, domo, additis simul articulis probatoriis, & data parti utrique venia vel ipsum archetypon, vel authenticum & vidimatum, vel nudum & simplex documentorum apographum adferendi.

§. 13.

Articuli probatorii ita sunt instituendi, ut id, quod probandum est, brevi & claro sermone unice exprimant, nec, quæ ad rem non faciunt, aut jura & obliga-

tiones partium tangant, ſed ſolas facti circumſtantias amplectantur, ſingulis facti circumſtantiis quæſtione unica discriminatis.

§. 14.

Pars utraque & partium advocati lingua in foris provinciæ recepta & ſolita utuntor; ambages, repetitiones, offenſiones vitanto.

§. 15.

Scripturæ in extima parte ſeu in rubro judicii, cui exhibentur, titulum, nec non allegationis, ceu petitionis, exceptionis &c., nominis, conditionis, ordinis, habitationis litigantium, & actionis epigrapham exprimant, & a patrono cauſſarum legitimo, ſi qui in foro judicii ad hanc rem exſiſtant, ſubſcribantur; qui publico ſpecimine ad judicis munus initiatus, vel ad agendas cauſſas legitime auctoratus eſt, propria in cauſſa alienæ ſubſcriptionis opera uti ſuperſedeto. Cæterum

terum partes & partium advocati otiosa repetitione & circumstantiarum facti inutilium confusione & juris corollariis abstinento.

§. 16.

Actio orata, seu processus verbalis ruri habitantibus, nec non vulgo plerumque pro regula esto, si lis florenos centum non exsuperet, aut injuria verbo inlata consistat; qua duplici caussa excepta urbes provinciarum metropoles scripto utuntor. Quod si partes coram judice aliter consenserint, consensu isto standum est.

§. 17.

Præoptante itaque & petente una alterave parte processum scriptum aut verbalem, judex ejus rei caussa certum diem indicito, partis adversæ declarationem audito.



CAPUT II.

De actione orata, ſeu proceſſu verbali.

§. 18.

In cauſſis ad proceſſum verbalem adcommodatis actor ore vel ſcripto actionem pro arbitrio inſtituito.

§. 19.

Actionem verbalem in loco judicii ad hanc rem deſtinato perſona publica ad hoc munus delegata in judicii protocollum cum fide inſcribito; actor documenta ſcripta petitionem ſuam fundantia eodem reponito, reo dein, dum citatur, cum protocolli apographo tradenda.

§. 20.

§. 20.

Judex instituta actione partibus (& pro re nata ipsis ad comparendum citatis) horam, diem, locum ad sistendum constituito, addito edicto, se deserto ab una alterave parte die jus ex §. 25. dicturum, monitisque partibus, ut tres minimum dies ante constitutum diem documenta sua & instrumenta vel in judicio, vel extra judicium inter se se sibi communicent.

§. 21.

Statuta a judice die pars utraque allegationes suas orato; judex, quidquid ad eruendam facti veritatem & probationes actori, reove faventes conducit, quoad ipsi aut ipsorum patroni huic rei desint, explanato; præcipue invigilato, ne partis alicujus jus defectu formalium minuatur, aut imperitia in explicando facto & digerendis documentis ipsi officiat; inprimis vero indagato, 1.) an justa sibi in reum & rem controversam sit jurisdictio?

2.)

2.) an actor et reus perſonam ſuam gerere jure poſſint? 3.) reusne, an actor litem alteri denunciare jure poſſit? 4.) quod & quale ſit factum illud, quo rationes ſuæ nitantur? an inſtrumentum ejus cauſſa conditum ſit? aliquis & quisnam inſtrumento conficiendo interfuerit, de eaque re pro teſtimonio dicere poſſit? pars utra jusjurandum alteri deferre velit, poſſit, & an ipſa offerat? 5.) circumſtantiam omnem rei utilem ab una parte allegatam, ab altera vel non proprio marte, vel obſcure contradictam judex huic ſpeciatim proponito, clarum ejus reſponſum exquirito, in neutrum nulla in re pronior ab omni omnino ſtudio alienum ſe gerito. 6.) Petita reus, actorve ipſi enuncianto; at vero judex, quod forte obſcure poſtulatum eſt, pro ſenſu poſtulantis explicari & ad protocollum eodem ſenſu diſtincte referri facito.

§. 22.

§. 22.

Si ad teſtes provocetur, qui in jurisdictione judicii ſint, judex eos ad diem conſtitutum convocato, & præſente utraque parte interrogato, vel parti ad teſtem provocanti, ut ſcriptum teſtimonium adferat, injungito.

§. 23.

Actor, reusve documenta ſua tres minimum dies ante conſtitutum diem inter ſe in judicio vel extra judicium communicanto: ad ſerius communicata, vel ipſo die producta continuo reſpondere pars adverſa non tenetur; ſumtus diei deſerti pars moroſa & tergiverſans adverſario rependito; judex diem prorogato.

§. 24.

Allegationes in cauſſis oratæ juſto protocollo inſeruntor; protocollum petenti uni alterive parti, ut ei ſubſcribant, exhibetor; apographum ejus, quandocunque id petant, non gravate ipſis traditor.

§. 25.

§. 25.

Absente, constituta dicti diei hora, parte una, præsente altera, judex expositum a præsente reo, actoreve factum, quoad objectum petitionis non egreditur, allegataque ab eo documenta (§. 12.) expositioni suæ contraria non sint, ratum habeto, jus secundum illud dicito, nisi si absentis moram pars præsens ipsa condonet, et diem proferri sponte patiatur. Si absens judici constituta die pro tribunali adhuc sedenti absentiam suam casu aliquo indeclinabili caussatam excuset; judex alium diem indicito, absens deserti diei sumtus rependito. Quod si reus actione sibi insinuata citatus non comparens scripta exceptione respondeat, actor in judicio præsens scriptum processum renuat: judex diem proferto, reum impensarum deserti diei damnato, ad futurum vocato cum clausula, ni compareat, se factum a præsente actore explicatum, quoad ob-

jectum

jectum petitionis non transgreditur, pro vero habiturum. Si jam ante conſtitutam diem ſcripta exceptione reus reſponderit; judex exceptionem in eundem diem remandato.

§. 26.

Deſerto ab utraque parte die judex nec ſententiam ferendo, nec petitionem ad acta reponendo partibus decreto edicito, ſe petentì uni alterive alium diem daturum.

§. 27.

Caſus aliquis inevitabilis, qui partem a die obeunda diſtinet, ſi ante vel ipſò die rite probetur, judex diem prorogato.

§. 28.

Præſente utraque parte diem ſine cauſſa juſta judex non prorogato, eamque ipſa prorogatione exprimito. Itaque partes adcurate & diligenter prius audiuntor, dies prorogationis, & quid quæque præſtare adhuc, vel adferre debeat, definitor.

§. 29.

§. 29.

Ubi deſerto ab una alterave parte die judex ſecundum §. 25. judicaverit, pars ea, quæ abſentiam ſuam caſu aliquo inevitabili purgare ſe poſſe confidat, quatuordecim diebus ab inſinuata ſententia excuſationem ſuam documentis inſtructam ſcripto vel ore proferto, ni faciat, non amplius audienda; judex diem ea de re conſtituito, eoque, utrum ab lata ſententia diſcedendum & cauſſa retexenda ſit, decernito; in ſumma rei interea nihil immutato.

CA-

CAPUT III.

De actione ſeu proceſſu ſcripto.

§. 30.

Actione ſcripto inſtituta judex in petitionem actoris exceptionem rei decernito, terminum reo dicito, quo exhibeatur.

§. 31.

Terminus triginta dierum eſto, ſi reus in foro judicii moretnr, quadraginta dierum, ſi in provincia, ſexaginta, ſi in provinciis Germaniæ hæreditariis, & nonaginta dierum, ſi extra has provincias ſit.

§. 32.

Rei exceptione finito termino non exhibita, judex actori factum exponenti, quo-

quoad documenta, quæ adfert, eidem contraria non ſunt, ſine alia probatione fidem habeto, acta petente eo ex præſcripto cap. 23. rotulo includito, quod jus eſt, edicito.

§. 33.

Reus, ſi quis jus ſibi aliquod eſſe credat, petitione actoris quamvis ſibi inſinuata, cauſſæ in judicio non dicendæ, petitionem eam intra dimidium termini ad excipiendum ſibi præfixi judici relegato, rationes relegatæ petitionis oſtendito. Quibus ſi adpareat, jurisdictionem judicii ea in actione nullam eſſe, rem judex parti utrique declarato. Quod ſi de competentia fori vel lege, vel rationibus rei peculiaribus dubium aliquod ſuperſit, ſi dubia lege jurisdictio ſit, dubium judex ſimpliciter: ſi dubia ex allegatis a reo rationibus ſit, rationes eas audito actore judex cum ſua ipſius opinione tribunali adpellationum propo-

nito,

nito; tribunal adpellationum rem cum sua opinione ad revisionum tribunal promoveto.

§. 34.

Qua rejecta jurisdictionis exceptione, reo, a die insinuatæ sibi rejectionis ejus, terminus ad excipiendum datus integer esto.

§. 35.

Reo, si credat actionem sibi intentatam lata jam sententia definitam esse, fas esto actionem producta ea sententia remittere. Judex ejus rei caussa diem indicito, de declinatione actionis, ni actor ea desistat, decernito.

§. 36.

Exceptione tempore finito exhibita actoris replicationem judex decernito, dato termino, quo exhibeatur.

§. 37.

Terminus exhibendae replicationis, nulla habita ratione domicilii actoris, quatuordecim dierum esto.

§. 38.

Actor ubi replicatione finito termino non responderit; judex, inrotulatis petente una alterave parte actis, argumenta & circumstantias ad integrandam facti seriem, aut confirmandas exceptiones ab excipiente allegatas pro veris habeto, & secundum allegationes caussam definito.

§. 39.

Actori fas non esto, replicatione sua momenta nova, aut documenta nisi ad refutandum factum, aut exceptiones rei excipientis resolvendas idonea adferre. Aliorum, siqua moverit, judex in finienda sententia rationem nullam habeto, nisi si reus duplicando ad nova ejusmodi sine reservatione responderit.

§. 40.

Nova tamen momenta, quae replicaturus actor justis rationibus ostendit se nec protrahendae, aut implicandae caussae studio petitione sua praetermisisse, replicando adferre ipsi permittitor. Itaque petita a judice licentia nova ea adferendi, judex audito reo & nulla ambage permissa, quod jus est, decreto edicito. Quod si veniam hanc actor replicationem una exhibendo petat; judex diem indicito, auditisque partibus de movenda, aut non movenda novitate decreto edicito, dilata in diem eum replicatione simul exhibita.

§. 41.

Reo replicatio ad duplicandum traditor, dato termino, quo duplicationem edat.

§. 42.

Terminus duplicationis edendæ ſine diſcrimine, quo loco reus moretur, decem & quatuor dierum eſto.

§. 43.

Duplicatione a reo finito tempore non edita, judex, inrotulatis petente una vel altera parte (cap. 23.) actis, momenta facti nova ab actore replicante pro norma codicis hujus judiciarii allata rata habeto, ſecundum allegationes factas decernito.

§. 44.

Reo fas non eſto nova facti adjuncta & documenta duplicando proferre, niſi quæ ad nova, ſiqua actor replicando moverit, confutanda valeant. Ubi nihilominus novi quidquam moverit, ratio ejus novi in perferenda ſententia nulla eſto.

§. 45.

Quod ſi reus juſtis rationibus oſtendat, ſe nova duplicationi ſuæ inducta

nec

nec ad protrahendam, nec ad implicandam caussam exceptione sua reticuisse; eadem lex esto, quae supra §. 40. in simili replicationis casu stabilita est.

§. 46.

Ubi reus (§§. 44. & 45.) nova momenta & documenta duplicando adstruit; judex parti alterutri epilogum & anti-epilogum pro conclusione caussae cum termino dierum quatuordecim concedito.

§. 47.

Epilogus & anti-epilogus nova tantummodo ab duplicante reo mota perstringat, vitato omni circuitu & repetitione priorum allegationum.

§. 48.

Ubi reus (§. 45.) veniam nova duplicando adferendi impetravit; fas est & actori nova momenta & documenta epilogo suo inserere, sed ea tantum, quae ad diluenda duplicationis nova

pertinent. At ne fas eſto nova epilogo adjuncta & documenta efferre, ſi reus duplicando juxta §. 44. in ordine proceſſerit; uti & anti-epilogo nova adjuncta & documenta complecti plane interdicitur.

CA-

CAPUT IV.

De
litis denunciatione & evictione.

§. 49.

Si quis jus ſibi eſſe credat, ut, ſi cauſſa cadat, ab eo, a quo cauſſam habet, indemnis præſtetur; is auctori ſuo litem continuo in judicio denunciato, actor ante editam actionem, reus ante medium terminum ad exceptionem ſibi præfixum. Qua omiſſa denunciatione neque évictionis præſtationem, nec ſumtuum litis aut aliam compenſationem amplius ſperato.

§. 50.

An litem denuncians, an auctor, an ambo communi marte tanquam litis consortes ſuſcipiant? ipſorum conſenſu definitur: ubi diſſentiunt; litem denuncians ſuſcipito.

§. 51.

Tempus quoque peragendæ fortaſſe litis de evictionis præſtatione, ſeu damni reſtitutione inter ſe arbitrantor; non retardata perinde principali cauſſa.

CA-

CAPUT V.

De Reconventione.

§. 52.

Reo, ſi jus ſibi eſſe credat actionis contra actorem inſtituendæ, actorem coram eodem judicé, ubi convenitur, reconventione petere fas eſto; atque id jus tamdiu integrum ſibi eſto, dum actio prima definitiva judicis ſententia finita eſt.

§. 53.

Siquidem actionis objectum, non vero reconventionis materia & argumentum ad ejusdem judicis jurisdictionem pertinet; reconventioni coram eodem judice locus non eſto.

§. 54.

§. 54.

Reconventionem reus ad eundem judicem pertinentem cum exceptione sua non permiſceto, ſed inſtructam probe inſtrumentis & documentis ſuis non permiſſa provocatione ad ea, quæ in actione principali producta aut allegata fuerunt, ſeparatam edito.

§. 55.

Cæterum ob editam reconventionem nec conventionis pertractatio, nec judicis de ea ferenda ſententia retardari debet.

CA-

CAPUT VI.

De jure & obligatione agendi & excipiendi.

§. 56.

Cui lex liberam rei ſuæ geſtionem reliquit, fas ei eſto, jus ſuum contra alterum in judicio perſequi ac tueri.

§. 57.

Quibus lex rei geſtionem ſuæ vel non permiſit, vel ademit, fas non eſto, jus ſuum per ſemet ipſos perſequi, aut tueri, actiones ab ipſis forte editas judex repellito, repulſæ rationem decreto edicito, jura illorum ii procuranto, quibus id lege datum eſt.

§. 58.

Quod ſi, actione pendente, actoris reive inhabilitas in ipſa cauſſæ pertractatione poſtea innoteſcat; judex acta reſcindito, actionem antiquato, cauſſam in ordinem redigito.

§. 59.

Ubi ſimili in cauſſa jam ad ſententiam judex deſcenderit; integrum eſto procuratori legitimo actoris, reive perſonæ ſuæ in judicio gerendæ inhabilis, quoad ea inhabilitas exſiſtit, aliam actionem legitimam ex ordine petere, ſalvo jure partis adverſæ & exceptione ejus.

§. 60.

Fas non eſto, adverſarium ſuum ad edendam juris ſui actionem in judicio cogere, niſi quo caſu codex hic judiciarius id permittat.

CA-

CAPUT VII.

De provocatione ex lege diffamari.

§. 61.

Si quis verbo vel ſcripto jus ſibi adverſus alterum vel in re alterius eſſe jactavit; jactantem hic coram judice ſuo provocantis proprio provocato, ut aut actionem, ſi juri ſuo confidit, inſtituat, aut perpetuum ſibi ſilentium imponi patiatur.

§. 62.

Actus poſſeſſorii qualescunque provocationis fundamentum non ſunt; læſus tali actu de jure ſuo actione competenti contendito.

§. 63.

§. 63.

Provocans caussam litis & jus, quod alter sibi esse jactavit, adcurate explicato, justa documenta, quae provocati jactantiam, si forte contradiceretur, demonstret, rite allegato.

§. 64.

Judex provocato edicito, ut respondendo jactantias diluat, vel actionem juris, quo confidit, edat, aut perpetuum sibi silentium imponi patiatur.

§. 65.

Provocato in utroque processu seu verbali, seu scripto iidem termini, qui reo ad exceptionem scripto edendam statuuntor.

§. 66.

Ubi actione provocatus contendat; actio ea communi actionum regula procedito. Si responsionem provocationi simpliciter opponat, responsio ea pro exceptione esto; finito processu judex

pro-

provocationi locum dato, vel eam denegato; data provocatione eadem ſententia provocato ad edendam actionem novum terminum a die, quo ſententia in rem judicatam abierit, ſtatuito.

§. 67.

Si provocatus nec reſpondendo, nec agendo ſe moveat, provocans inrotulari acta petito; judex provocato ſilentium perpetuum ſententia imponito, objectum litis ſententia diſertis verbis exprimito.

§. 68.

Periclitaturus jus ſuum contra latam ab vectigalium adminiſtrandorum præfectura deciſionem, (notionem vocant) vel una cum periculo juris gratiam principis imploraturus, procuratorem fiſci coram judice ejus competente provocato, ut juris, quod ea notione partum ſibi eſſe exſiſtimet, actionem inſtituat.

§. 69.

Terminus provocationis ejus iis, qui tempore insinuatæ sibi notionis ejus in provincia, ubi notio ea lata est, morantur, a die insinuatæ notionis ad dies quadraginta quinque, absentibus a provincia ad dies nonaginta statuitur, quo finito termino provocatio contra notionem eam præcluditur. Provocatione tempore justo edita, judex procuratorem fisci de edenda termino §. 65. stabilito actione admoneto, addita clausula, ni faciat, se, habita nulla notionis superius demonstratæ ratione, perpetuum illi silentium impositurum.

§. 70.

Idem esto, si quis collegii ad calculos & rationum defectus explorandos constituti declaratione decretoria circa eas rationes, quæ ad ærarium publicum pertinent, læsum se reputet.

§. 71.

Officiali & œconomo dominorum, qui accepta rationum redditarum declaratione decretoria, ſubductione, aut nota, quam dicunt, reſidui gravatum ſe reputet, integrum eſto intra nonaginta dies ab accepta nota ea dominum coram judice ejus competente provocare, ut actionem de errore, vitiove rationum, cui ipſe contradicit, in judicio inſtituat, aut errorem eum, vitiumve antiquari & abſolvi patiatur. Eadem, quæ ſupra ſtabilita eſt, hac in cauſſa procedendi ratio eſto.



CAPUT VIII.

De provocatione novi operis cauſſa.

§. 72.

Novum opus ſtructurus adcuratam operis ichnographiam poteſtati loci, ubi ſtructurus eſt, politicæ exhibeto; poteſtas politica exhibitam, ex momentis politicis probe conſideratam, examinatam vel adprobato, vel pro re nata mutato, nec veniam ſtruendi operis ejus prius niſi auditis vicinis & confinibus ſtruentis concedito; inter quos ſi controverſiæ oriantur, rem inter diſſidentes amice componito; ſi componi nequeat, litigantes ad judicem ejus rei competentem relegato.

§. 73.

§. 73.

Re ita non composita, molienti opus novum fas esto, dissidentes eos, quorum contra nunciationem præmunire se cupit, in foro struendi operis novi, exhibita judici duplici operis ejus ichnographia, provocare, ut aut actionem nunciationis instituant, aut perpetuum sibi silentium imponi patiantur, provocantique concedatur, opus ex proposita ejus ichnographia perficere. Atque unum ejus ichnographiæ exemplar judex in judicio adservato, alterum provocatorum uni, qui cæteris per manus illud tradat, insinuari facito: cæterum idem, qui reliquarum provocationum, actionis modus esto.

CAPUT IX.

De proceſſu edictali, ſeu concurſu creditorum.

§. 74.

Concurſus a judice eo, cui obæratus ex perſonæ qualitate ſubeſt, edicitor.

§. 75.

Edicto concurſu in obæratum, qui in aliis provinciis bona immobilia poſsideat, concurſus idem in quavis provincia in bona obærati mobilia & immobilia ab eo judice, in cujus jurisdictione obæratus, ſi in provincia moraretur, pro perſonæ ſuæ qualitate foret, edicitor.

§. 76.

§. 76.

Concursus contra nobiles Galliciæ orientalis, quibus in diversis circulis sub diversis nobilium foris bona sint, in foro nobilium Leopoliensi peraguntor; atque ita in foro nobilium Tarnoviæ & Stanislaviæ soli concursus in nobiles foro huic aut illi subditos peraguntor, quibus aut nulla, aut in iis tantum circulis bona sint, in quos huic aut illi foro jurisdictio sit.

§. 77.

Credita obærati activa seu publico in fundo posita, seu privatis data, prænotata, vel non prænotata, quamvis concursus in diversis provinciis exsistat, sub jurisdictione judicis ejus sunto, qui tanquam judex personæ obærati concursum edixerit.

§. 78.

Concursus edictus bona omnia obærati eadem in provincia mobilia & im-

mobilia comprehendit, atque ubi alia in provincia nulla ei immobilia bona ſint, mobilia, ſiqua habeat, omnia adprehendit.

§. 79.

Concurſus ſtatim edicitor 1.): ſi quis obæratus coram judice ſolvendo ſe non eſſe profiteatur; atque etiam ſi ob æs alienum in cuſtodiam publicam tradito novæ exſequutiones intententur; 2.) ſi notorie obæratus profugiat, aut ſponte lateat, quin alia ejus rei cauſſa quam æris alieni copia pateat; 3.) ſi defuncti hæres cum beneficio legis declaratus, aut deficiente hærede hæreditatis derelictæ curator concurſum in hæreditatem a judice petierit.

§. 80.

Si creditor, creditoresve concurſum edici petant, neque id ſine fundamento, & in fraudem debitoris fieri manifeſtum ſit, judex ad rem inveſtigandam termino

quam

quam potest brevissimo diem indicito, debitori ut aut creditores securos reddat, aut bonorum suorum & debitorum statum conficiat, & ad diem adferat, injungito.

§. 81.

Ubi debitor nec securos creditores suos reddat, aut diem deserat, aut statum rei suæ nec adferat, nec alia ratione ostendat, solvendo se se esse; judex concursum continuo edicito.

§. 82.

Concursu edicto in una provincia, idem in aliis edicitor, in quibus obærato bonum aliquod immobile sit; judex primi concursus reliquos in provinciis his judices ea de re admoneto.

§. 83.

Edicitur, & aperitur concursus per edictum, quo creditores convocantur, atque is a momento publicati edicti respectu effectus civilis, qui inde nascitur, pro edicto & aperto habetor; itaque

judices concurſuum publicationem, quanta maxima poſſunt diligentia, procuranto, horam ipſam factæ publicationis adcurate exprimunto.

§. 84.

Judex aperiendo concurſum pari edicto publico omnes, quibus jus aliquod in re obærati eſt, citato, ut jus illud quodcunque in diem certum & definitum edant; ni faciant, eos a præſenti, & acceſſura forte obærati re, quatenus a creditoribus in tempore profeſsis exhauriatur, excluſos fore, nulla habita ratione juris dominii aut pignoris, ſi quod in re ea habeant, aut compenſationis, quæ ipſis competat; quo non obſtante ſe e converſo, quod ipſi concurſus aſsi debeant, ab iis repetiturum.

§. 85.

Diem, in quem creditores nomina profiteantur, judex pro ratione circumſtantiarum definito, nec ampliorem ſex men-

mensibus, nec breviorem triginta diebus, inclusis in ea die feriis.

§. 86.

Eo ipso edicto, quo concursum edicit, diem simul ulteriorem post eum, qui de edendis nominibus præcipitur, judex statuito, quo die ulteriori creditores convocato de deligendo bonorum curatore, & deleganda creditorum deputatione.

§. 87.

Edictum pro more uniuscujusque loci publice affigitor, publicator.

§. 88.

Simul ac concursus edicitur; nec a creditore quoquam dein prænotatio, pignus, aut quæcunque securitas in bona obærati valide impetrari, nec agi contra eum in judicio jure potest, sed eæ, quæ contra ipsum in primo judicio pendent lites, si acta partium nondum conclusa sint, ad concursum relegandæ sunt: quæ vero ad rotulum jam devenerint, earum defini-

ni-

nitionem concurſus nec in primo judicio, nec in adpellatorio, nec in reviſorio impedit. Integrum quoque eſto creditori unicuique, non obſtante concurſu, in corpus obærati publicam cuſtodiam, ſeu arreſtum perſonalem impetrare, quatenus ei lege judiciaria locus eſſe poteſt.

§. 89.

Item concurſu edicto curator bonis dicitor, cujus fidei & geſtioni res tota ad concurſum eum pertinens concredatur. Qua de cauſſa judex creditoribus, qui ſibi vel ex actionibus exſequutoriis ante concurſum inſtitutis, vel ex tabulis provincialibus & prædiorum libris, quibus obærati bona immobilia, ſiqua poſsideat, inſcripta ſunt, vel ex ejus commercii, opificii, aut aliis libris & rationibus, vel ex oblata ab obærato bonorum & debitorum ſuorum conſignatione innotuere, quatenus in loco judicii commorantur, diem ſtatuito, in quo majoribus ſuffragiis

cu-

curator bonorum deligatur, aut si ob moræ periculum creditores audiri non posſint, curatorem ex officio ipſe conſtituito, virum bonum, indigenam.

§. 90.

Si cum aſſe concurſus adminiſtratio poſtæ conjuncta ſit; vir idoneus, expertus, & a politica provinciæ poteſtate adprobatus deligitor, qui poſtam pro aſſe communi adminiſtret, pecunias ex adminiſtratione ea redeuntes aſsis curatori tradat. Atque hæc adminiſtratio ſex menſes non excedat, intra quos, ut alienetur, petendum eſt.

§. 91.

Aſsis curator bona adminiſtrationi ſuæ concredita tanquam bonus paterfamilias procurato; præſentem pecuniam, res pretioſas, niſi ea creditores diſertis verbis penes ipſum relinquant, cuſtodiæ judicii transdito; credita aſsis vel extra judicium, vel jure repetito & ad aſſem cogito; res corru-

ptioni

ptioni obnoxias, quarum conſervatio diſpendioſa & inutilis eſt, tempeſtive, ſed publice venum proponito, & ſi citra periculum jacturæ in ſecundam vel tertiam haſtam adſervari non poſsit, in prima pretio etiam minori, quam quo æſtimata fuit, alienato.

§. 92.

Die ulteriore (§. 86.) poſt diem profitendi nominis ſtabilito, in quem & conſtitutus interea aſsis curator cum curatore ad lites evocandus eſt, creditores præſentes, majoribus ſuffragiis, quæ tamen pro rata editarum ab iis petitionum computanda ſunt, curatorem aſsis interim conſtitutum aut confirmanto, aut alium legunto; extraneum non legunto, niſi qui fidem dederit domicilii in provincia, ubi concurſus peragitur, quoad peragetur & abſolvatur, continuandi; porro argumenta ea ſimul pertractanto & majore ſuffragiorum numero definiunto, quæ futuram

turam

turam aſsis ejus adminiſtrationem concernunt.

§. 93.

Eodem die creditores pro majore ſuffragiorum numero rurſus pro rata editarum ab iis petitionum computando delectu habito deputationem ex ſe deleganto, poteſtatem ejus deputationis in rebus ad aſſem concurſus pertinentibus & quatenus aſsis curator deputatorum placitis obſtringatur, finiunto. At vero curator aſsis deputatis rationem geſtionis ſuæ reddito, deputati redditarum ejus rationum errores & vitia in judicio vel extra judicium notanto, aut rationes confirmanto, ſalvo reliquorum creditorum jure rationum pro ſe inſpiciendarum.

§. 94.

Non niſi creditor aſsis deputationi idoneus eſt: invitus nemo legitor. Deputatio creditoris extranei tum demum rata eſto, ſi fidem interpoſuerit, in

foro

foro concurſus, quoad abſolvatur, commorandi.

§. 95.

Ubi creditores nec curatorem aſsis, nec deputatos eligant, aut diem ſtatutum deſerant: judex curatorem periculo illorum nominato; ſi pluribus in delectu nominatis paria præſentium ſuffragia ſint, nominatorum unum pro ſuo arbitrio confirmato.

§. 96.

Obæratus bona ſua omnia, nullis exceptis, judici concurſus indicato, oſtendito. Si quid deliberato reticuerit, aut retinuerit, aut imparem ſolvendo ſe falſo profeſſus ſit, data opera, ut creditoribus exſequutionem aut crediti fructum adimat, aut aliam fraudem faciat; falſo profeſſus judici criminali traditor, lege communi pœnali judicator. Jus idem eſto in eum, qui rem ad aſſem concurſus pertinentem

in manu habet, eamque fallaci cum obærato collusione celat.

§. 97.

In edicendo concursu judex penitiorem contracti æris alieni caussam & originem ex officio indagato; obæratum, si nec infortunium demonstrare posſit, aut ostendere, se in contrahendo ære alieno parem se solvendo justa ex ratione credidisse, poena conveniente mulctato; si bonorum quidquam intervertendo celaverit, pecunias aliis creditas simulando prætexerit, aut dolum malum & fraudem utcunque fecerit; judici criminali tradito. Itaque in obæratum, si fugæ suspectus sit, publicam corporis custodiam decernito, fugitivum persequitor, adprehendito, sumtus in hanc rem necessarios ex asse carpito.

§. 98.

Item in edicendo concursu judex omnia obærati bona, quæ sub jurisdictione

sua

ſua ſunt, publice obſignari, deſcribi, æſtimari facito. Si bona obærati immobilia ejusdem provinciæ alia ſub jurisdictione ſint, jurisdictio ea quæſitam a concurſus judice bonorum horum obſignationem, deſcriptionem, æſtimationem ſine mora conficito, confectam concurſus judici transmittito.

§. 99.

Ubi bonum aliquod immobile ad aſſem concurſus pertinens deſcribendum & æſtimandum eſt, creditoribus in bonum id prænotatis, & debitori dies, hora, locus peragendæ deſcriptionis & æſtimationis edicitor, nominatis æſtimatoribus, quos judex delegerit, ut editis exceptionibus, ſi quas in nominatas perſonas moverint, aliæ a judice ſufficiantur; ipſa boni immobilis deſcriptio & æſtimatio die ea præfinita & edicta indilate peragitor, creditoribus quamvis & debitore ipſo abſentibus.

§. 100.

§. 100.

Aestimatores bonum asi pertinens totum & integrum in summa, dein in partes suas divisum describunto; inprimis summae totius, ubi indivisum maneat, pretium finiunto; postea, si dividi oporteret, quot in partes & qua ratione, non imminuto summae totius pretio, dividi possit? notanto; pretium uniuscujusque partis singillatim terminanto.

§. 101.

Qua in descriptione & aestimatione praesentium creditorum cuivis aeque ac debitori fas esto, observationes suas in medium adferre & aestimatoribus proponere; atque eae observationes pure ad protocollum referendae sunt cum clausula, an & quatenus aestimatores iis usi, aut qua de causa non usi sint. At vero nec debitor, nec praedii officiales notitiam ullam aestimationi utilem, nec prototypa rationum per plures annos gesta-

rum, ſi id requiratur, inſpicienda æſtimatoribus recuſanto, vel deneganto.

§. 102.

Ubi bonum ab æſtimatoribus diviſibile declaratum eſt, curator aſsis videat, ut ſaltem ante tertiam boni auctionem compertum ſit & demonſtratum, ſi qua politica ratio obſtet, quominus in partes distrahatur.

§. 103.

Aequam item compoſitionem creditorum perſolvendorum, ſi ſpes bona ſit, rei cum conſenſu omnium, quorum intereſt, aliquo modo tranſigendæ, tentare judici fas eſto. At ruri, vel in aſſe concurſus pertenui, vel ipſo aſſe credito uno ob jus aliquod præcipuum exhauſto, creditores profeſſos judex ad diem poſt diem profitendorum nominum convocato, rem, ſi fieri poſsit, compoſitione tranſigito, qua non perfecta ad liquidationem ex ordine procedito.

§. 104.

§. 104.

Judex, ubi concursum edicit, curatorem simul ad lites nominato; si in loco judicii caussidici sint, caussidicum; si non sint, virum alium non imperitum nominato. Curatori ei judex ex officio diligenter invigilet, &, si opus sit, ad promovenda rite & continuanda sollicite muneris sui negotia eum adhortetur.

§. 105.

Curator ad lites creditores eos, qui vel in tabula provinciali, vel libro prædiali prænotati sunt, judici ostendito, ut de edicto concursu, & die profitendis nominibus constituta facta unicuique insinuatione rite admoneantur, servato eodem modo, quo ex præscripto capit. XXXVI. reo præsenti aut absenti actio edita seu actoris petitio insinuatur.

§. 106.

Curator ad lites accepto muneris sui decreto cum creditoribus compertis sta-

tim liquidato, cum reliquis eo ordine, quo de ſe profitentur.

§. 107.

Fiſco integrum eſto in foro ſuo, quamvis edicto in alia jurisdictione concurſu, jus ſuum, ſed non niſi contra curatorem ad lites & definito pro inſinuandis juribus termino perſequi, ac de liquiditate, de petita claſſe & movendis forte prioritatis juribus contendere, nec non ſuffragia, quae in negotiis ad concurſum pertinentibus ab ipſo tanquam creditore edenda ſunt, foro ſuo offerre, id quod ea concurſus judici transdet. Judex itaque concurſus, quamprimum ſibi utcunque innotuerit de jure, quod fiſco in re concurſus competat, foro fiſci concurſum edictum nunciato, quo procuratorem eum de edendo & probando eo jure fiſci admoneat. Quod fiſco reſervatum jus locum non habet, ubi de jure monaſterii, abbatiae, eccleſiae, vel fundationis sub

administrationem publicam redactæ agitur, quo casu fiscus ad judicem concursus relegatur, apud quem pro re nata curatorem caussæ gerendæ constituat.

§. 108.

Creditor rei ad jurisdictionem, quam vocant, montanisticam, pertinentis, coram judice concursus professus & prænotatus jus suum & categoriam classis, ad quam adspirat, contra curatorem ad lites concursus in foro montanistico constituendum, liquido ostendito & comprobato.

§. 109.

Nominis apud judicem professio actione edita exhibenda est: atque ubi rei in asse concursus exsistentis dominium petatur, in actione professoria simul exprimitor, quidnam petatur, siquidem creditum pro liquido habeatur, rei vero vindicatio abjudicetur.

§. 110.

Nomina profeſſorum tam in judicii protocollo, quam a curatore ad lites adcurate adnotantor; adnotata, & finito profeſsionis termino legitimo indice conſcripta cum demonſtratione habitæ (§. 106.) liquidationis ad collocandos in claſſe ſua creditores ad acta rediguntor.

§. 111.

Profeſsiones ſingulæ, uti reliquæ actiones omnes, proceſſu verbali in regula peraguntor; creditor liquiditatem ejus, quod petit, nec non jus, ex quo hanc illamve claſſem, aut prælationem ex dominio appetit, oſtendito, comprobato.

§. 112.

Debitor curatori litium indicia, argumenta, & documenta omnia patrocinio aſsis utilia ſubminiſtrato. Curator ad lites, ſi ex ſua conſcientia & convictione juſtam in profeſsionis actionem exceptio-

nem

nem nullam movere posſit, exceptionis loco judici id oſtendito; judex de credito liquido ſine mora pronunciato.

§. 113.

Curator litium interpoſito duorum menſium ſpatio judici concurſus identidem oſtendito, quid in quoque profeſſorum credito actum? quæ mora rei ſit? neque a ſe quidquam eſſe omiſſum.

§. 114.

Prout unaquæque actio profeſſoria finitur, & rotulo concluditur, judex ſine mora ſententiam de crediti liquiditate in unamquamque ſeparatam dicito, profeſſo inſinuari facito, eademque ſententia creditorem prælationem in aſſe concurſus petentem ad ſententiam claſsificatoriam relegato.

§. 115.

Creditori, vel litium curatori ſententia judicis de credito liquido perlata læſum ſe reputanti adpellare judicem ſu-

periorem fas eſto. Creditore ſententia primi judicis de credito non liquido repulſo, ſententia ſuperioris judicis juri ſuo reſtituto, judex concurſus, non exſpectata creditoris ejus petitione, modum decernito, quo creditum illud claſsificationi poſtliminio inſeratur, idque ſingulis creditoribus ipſi æquiparatis aut poſthabitis ſignificator.

§. 116.

Qui finito profeſsionis termino nomina & credita profeſsi non ſunt, in concurſu amplius non audiuntor, impetrata quamvis antea contra debitorem ſententia, aut competente ſibi jure aliquo compenſationis, dominii in re aſsis, aut pignoris; itaque, ſiquod aſsi debeant, nulla habita juris ejus, quo alias gauderent, ratione, aſsi id perſolvant.

§. 117.

§. 117.

Creditores, qui cum debitore commercium & ejus commercii caussa rationes mutuas & justos commerciorum libros habuere, compendium, siquod ex subductis rationibus residuum repetant, intentata sibi compendii ejus jactura, ni faciant, profiteantur; non profiteantur, quatenus commerciorum libri pares accepti expensi rationes ostendant; de rationibus tamen, an liqueant? interroganti litium curatori, aut compensationem aliquam repetenti satisfaciant.

§. 118.

Creditori cambium acceptatum pignoris jure possidenti fas esto, solutionem ab acceptante, si dies venerit, recipere, & creditum inde suum, quamvis in concursu non editum, explere. Quod autem forte creditum professum exsuperat, fideliter ad assem concursus transdato.

§. 119.

Perlatis ſententiis de profeſsione creditorum omnium intra diem edicto finitam edita, judex creditores omnes de credito profeſſos in claſſes collocato. Impedita ob unius alteriusve creditoris profeſſoriam actionem claſsificatione integrum creditoribus conſentientibus eſto, actione ea, quanti intereſt, ſatisdata, claſsium diſpoſitionem petere.

§. 120.

Claſsificationem judex curatori ad lites & curatori aſsis integram, unicuique vero creditorum partem eam, quæ cujusvis creditum ſingillatim reſpicit, tradito, addito jure, integram claſsificationem apud aſsis, aut litis curatorem inſpiciendi, immo & exemplar ejus a judice impetrandi.

§. 121.

In claſsificatione judex jus illud, quod creditori unicuique ex lege competit, deſigna-

ſignato, quin aut tacita, aut expreſſa curatoris ad lites confeſsio prioritatis alicujus ſententiam ejus impediat; ceterum eadem claſsificatione exprimito, creditores finita die de credito non profeſſos excluſos eſſe.

§. 122.

Creditoribus omnibus anteponendi ſunt: 1.) qui rem propriam, mobilem, ſeu immobilem, tempore concurſus edicti in aſſe integram, & inconſumtam repertam repetunt; 2.) qui poſt edictum concurſum ipſi in aſſem ſumtum vel laborem impenderint, ceu aſsis & litium curatores; 3.) vectigalia ex mercibus, quæ adhuc exſtant, debita, ſiquidem ex iis perſolvi poſsint; 4.) tributa publica ab ultimis tribus ante factum concurſum annis debita.

§. 123.

Ubi in aſſe concurſus fodinæ minerales, molæ tuſoriæ, malleatoriæ, uſtrinæ,

næ, aut alia iis bona adnexa exsistant; creditoribus sequenti §. 124. percensitis in bona ea solummodo, citra reliquum concursus assem, expresso ordine præferendi sunt: 1.) Summi principis fiscus, aut soli domini, quibus jus decimæ ex mineralibus, pensionis hæreditariæ vel trimestralis est, respectu decimarum, angariarum, seu operarum, aut, quod vocant, urbarii, ex paratis metallis præstandarum, quæ parata pecunia redemtæ & debitori ipsorum nomine præstitæ, nec domino soli redditæ fuere; nec non pensionum hæreditariarum, census, lignationis, ut & pensionis trimestralis ab novissimis novem mensibus a die facti concursus solummodo repetendæ; 2.) participes & socii metallorum respectu lucri ex metallis eruti, computati, & cum re debitoris confusi; 3.) iidem itidem respectu pecuniæ ad fodinas exercendas erogatæ, compendii, seu supplementi & sumtus

com-

communis collati non impensi, nec a debitore redditi, aliorumque instrumentorum communium & armamentorum; 4.) operarii & fossores fodinarum mineralium, tusoriarum, malleatotiarum, officinarum metallicarum respectu mercedis per sex tantum menses a facta ante concursum rationum metallicarum computatione, aut ubi ea computatio in usu non est, per annum integrum a facto concursu repetendæ; 5.) fossorum, seu fraternitatis, quas vocant, thecæ tribules respectu detracti a debitore de mercede fossorum, operariorumve thecæ, quem vocant, denarii, seu fratrum simboli, nec in thecam illati; 6.) cunicularii hæreditarii respectu dodrantis, aliæve pensionis ex cunculo repetendæ; 7.) census ex puteis, trabium textura, aquæ deductione, alave ex re fodinaria per sex tantum menses ab ultima ante concursum rationum metallicarum computatione repe-

petendus; 8.) cenſus ex uſtrinis & molis tuſoriis debitus, per unum tantum annum ab ultima ante concurſum metallicarum rationum computatione repetendus.

§. 124.

Claſſem primam obtinent, quibus jus prioritatis hoc loco tribuitur, ſcilicet 1.) impenſæ in funus debitoris neceſſariæ; 2.) pecuniæ caſtrenſes & publicæ debitori in munere ſuo concreditæ, & quæ amplius non exſtent; 3.) mercedes domeſticorum, ſive victu, ſeu mercede, aut utroque ſerviant, & quamvis debitoris filii, filiæve ſint, aut tempore edicti concurſus ſervitio jam exiſent, a tribus ultimis ante concurſum annis repetendæ; 4.) medici, chirurgi, pharnacopolæ reſpectu operæ & medicationis per annum noviſsimum præſtitæ; 5.) merces camineutarum ab anno uno a die facti concurſus repetenda; 6.) præſtationes dominis ſoli ex jure ſoli a colonis pendendæ,

dæ, quatenus solum iis sufficiat, per tres ultimos annos repetenda; 7.) atque ita ex eodem nexu ea, quæ colono a soli domino debentur.

§. 125.

Exceptis his præstationibus, a colonis pendendis, creditoribus in prima classe collocatis ex bono speciali pignore obligato tum demum, ubi creditoribus hypothecariis ex pignore eo satisfactum prius fuerit, satisfaciendum quoque est; non sufficiente ad satisfaciendum concursus asse, assis universus nullo prioritatis jure pro rata crediti cujusvis portione inter eos dividitor.

§. 126.

In secunda classe collocandi sunt ii, quibus vel in universa debitoris re, vel in parte rei ejus jus aliquod pignoris lege datum est, habita nempe ratione rei ejus, in quam jus ipsis pignoris est, & temporis, quo jus illud quæsiverunt. Res

ea

ea oppignerata quatenus perſolvendo credito non ſufficit; creditores quoad reſiduum in claſſem inferiorem pro crediti natura ipſis competentem rejiciendi ſunt.

§. 127.

Uſuræ capitis in pignus crediti ante concurſum caducæ, & ipſo in concurſu cadentes eadem prærogativa, qua caput ipſum, habentor, per tres retro annos ab edicto concurſu; quæ vero continua actione jam ante concurſum repetitæ ſunt, non modo tribus retro annis ab inſtituta actione continua, ſed & quæ poſt eam actionem usque ad factum concurſum cecidere, eadem prærogativa ſunto. Lex eadem eſto de penſionibus annuis, in fundum pignoratis.

§. 128.

Lege §. 123. dicta, creditoribus tertiæ claſsis ſequenti §. 129. nominatis præferendi pariter ſunt ii, qui ad exercendas fodinas, & ſuſtentandos operarios

pe-

pecunias, instrumenta & utensilia, aut cibaria subministrarunt, si antea in libris montanisticis tanquam subministratores rite prænotati sunt, attamen non nisi per sex menses a facta ante concursum ultima rationum montanisticarum computatione.

§. 129.

Tertiæ classi accensentur cum jure prioritatis ante creditores chirographarios: 1.) pupilli, & qui pupillis lege æquiparantur, quatenus jure pignoris nullo gaudent, siquidem debitor fuerit tutor eorum, curator, bonorum administrator, aut judex tanquam tutor superior; 2.) fiscus, siquid a personis publico in munere constitutis muneris ejus caussa repetat; 3.) fabricæ mercium provinciales, earumque opifices, qui lino, lana, gossipio, serico, corio, vitro, auro, aut alio ære mer-

ces factitant, ob merces eas mercatoribus annum unum ante concurſum creditas; 4.) creditores in creditam fabricis his provincialibus, aut earum fabris ad exercendum opificium mercem, aut pecuniam ultimo ante concurſum anno; 5.) uxor debitoris in dotem marito pernumeratam, necdum ſibi reſtitutam, uti & in contradotem, quatenus pernumeratæ dotis ſummam non excedit, ſiquidem uxor ea nullo pignoris jure tuta ſit. Omnibus claſsis hujus creditoribus, ubi facultates debitoris non ſufficiunt, pro rata crediti cujusvis absquo ulla inter ſe prærogativa, quoad ſufficiunt, ſatisfaciendum eſt.

§. 130.

Uſuræ creditorum tertiæ hujus claſsis ante concurſum caducæ, & in ipſo concurſu cadentes eadem lege ſunto, quæ ſupra §. 127. uſuræ capitis in pignus crediti dicta eſt.

§. 131.

§. 131.

Ad quartam classem pertinent fiscus pro eo, quod ex pacto repetit, & caeteri creditores chirographarii, qui ex asse concursus residuo pro rata creditorum suorum sine discrimine partem quisque suam decerpunt. De usuris idem esto, quod §. 127. de usura crediti cum pignore edictum est.

§. 132.

Quinta classe continentur usurae, quibus jus idem cum capite suo lex non permittit, tum pensiones annuae ultra tres annos amplius non persolutae, nullo alio discrimine, quam habita ratione portionis debitae.

§. 133.

In sexta & postrema classe reponuntur: 1.) uxor debitoris ratione morganaticae, seu doni nuptialis, & alimentorum, quae sibi a die edicti concursus debentur, quatenus ea sibi in casum vidui-

tatis pepigerit. Poſt eam 2.) ii, quibus ex mera debitoris liberalitate & beneficentia, ceu donatione aliquid debetur, nullo alio diſcrimine, quam portionis debitæ & repetitæ rei ejus; poſt hos 3.) fiſcus ratione mulctarum ſibi adjudicatarum, ſiquidem omnes iſtæ petitiones omni pignoris jure deſtituantur.

§. 134.

In claſsificatione judex ſimul edicito, eos, qui de nomine profeſsi non fuerint, ad unum omnes ab aſſe concurſus excluſos eſſe.

§. 135.

Poſt inſinuatam claſsificationem reſtitutioni in integrum locus amplius non eſto; quin immo ſi contra finitum profeſsionis diem petatur, intra præſcriptos 14 dies inſtituenda eſt. Quod ſi inſinuata nondum claſsificatione reſtitutio ea quæratur, diſpoſitio ipſa claſsium ordinatoria ea re

non

non retardanda, ſed mota nova petitio claſsificationi poſtliminio inſerenda eſt.

§. 136.

Nulla contra claſsificationem adpellatio eſto. Creditori tamen aliqua in claſſe conſtituto, ſi aut reliquis præferri, aut claſſe meliore dignum ſe credat, quamvis meliorem eam claſſem in actione profeſſoria non expetiverit, integrum eſto, actionem ea de re intra diem trigeſimum edere, quo termino & ii claſsium creditores, qui alterius prioritatem, aut claſſem impugnare ſtudent, actionem ſuam inſtituant.

§. 137.

Acturus de prioritate, ſeu de jure potiori, quam, quo in claſsificatione collocatus eſt, actionem eam trigeſimo die ab inſinuata ſibi claſsificatione contra omnes, quos impugnare ſtatuit, diſertis nominibus edito, peremto ſibi jure ſuo in eos, quos non nominaverit. Separato ſimul libello diem de conſtituendo communi

patrono, in quem actio tota continuetur, petito.

§. 138.

Acturus item de jure prælationis ad evertendum creditorem aliquem jure ſuo claſsis, actionem contra creditorem unumquemque, quem impugnaturus eſt, ſeparatam eodem termino edito.

§. 139.

Actiones prioritatis, quæ fiſcum tanquam conſortem adtingunt, coram judice fiſci competente eodem termino inſtituendæ ſunt, data reliquis creditoribus cauſſæ ſociis facultate vel relinquendæ cauſſæ integræ patrocinio fiſci, vel conſtituendi advocati, qui cauſſam cum fiſco communi marte defendat.

§. 140.

Ubi prælationis jus a creditore uno præ altero, qui in claſſem poſtliminio illatus & interpolatus eſt, adſeritur, aut contradicitur; terminus ad edendam actionem

nem a die insinuatæ creditoribus interpolationis ejus decurrit.

§. 141.

Creditor, ubi actionem prioritatis tempore finito edere non posſit, ante exitum temporis ejus in creditorem, cui actionem eam intentat, longiorem terminum quærito, lege ea, quæ capite XXXVII. statuta est, concedendum.

§. 142.

Actori de prioritate fas esto argumentis iis, quæ actione professoria deduxit, nova superaddere. Quæ prioritatis actio communi patrono insinuata pro more reliquarum actionum peragenda est, nisi quod terminus primus edendæ exceptionis & cæterarum allegationum quatuordecim diebus circumscribitur.

§. 143.

Actio ea, ubi actor caussa vincit, utilis est omnibus, qui reo in claſsium posìtione posthabiti aut æquiparati fuere,

quamvis actione ipſi abſtinuiſſent. Itaque cauſſæ victoribus fas eſt, ab iis, quibus victoria ſua utilitatem peperere, pro rata parte compenſationem ſumtuum litis repetere.

§. 144.

Conſtituta die creditores de prærogativa adpetiti communi ſuffragio cauſſæ patronum ſibi legant; ubi in legendo patrono discrepant, is, in quem plures præſentium conſenſerint, nulla habita creditæ & repetitæ ſummæ ratione, patronus legitor; ſi patronum nullum nominaverint, judex illorum periculo patronum nominato, & quibus creditoribus, & contra quem patrocinium ejus delegerit, decreto pronunciato, nominatum de prælatione agenti oſtendito. Cæterum litis ſumtus, a creditoribus, ni aliter expreſſe conſenſerint, a patrono eo defenſis, pro rata creditorum uniuscujusque ſumma compenſandi ſunt.

§. 145.

§. 145.

Bona, quae procedente concursu inveniuntur, aut debitori postea adcrescunt, creditoribus itidem de credito professis & in classes dispositis cedunt, quoad satisfactum iis sit. Debitori ex eo tantum, quod opera sua & industria adquirit, usus aliquis congruens concedatur, quamvis secus ex ipso asse concursus absque expressa creditorum voluntate alimenta non alio, quam quo cap. XXXIII. de bonorum cessione definitur, modo petere possit.

§. 146.

Creditoribus usurae durante concursu continuantur, eaeque iis, qui jure pignoris gaudent, uti & pensiones annuae e fructu pignoris, quatenus sufficiunt, pro ratione prioritatis ex tabulis provincialibus, aut aliunde cognitae, pendente quamvis concursu persolvendae sunt. Impensas ad creditum liquidum reddendum insumtas creditor nec repetito, judex nec adjudicato.

§. 147.

§. 147.

Curator bonorum adprobatus aut recenter conſtitutus publicam bonorum, quæ exſtant, ſubhaſtationem ſine mora & diligenter promoveto: modus ejus ſubhaſtationis cap. XXXI. de exſequutione præſcriptus eſt. Quodſi bonum immobile haſtæ publicæ ſubjiciatur, creditoribus tam in bonum prænotatis, quam reliquis omnibus, aut ubi in foro loci non exſiſtant, patronis & curatoribus eorum dies, locus, hora haſtæ ejus ad comparendum indicitor, ut licentes ipſi damno forte caveant. Ubi bona dominicalia vendenda ſunt, ſubhaſtatio ea præter conſuetum modum a præfecturis inſuper circulorum provincialium edicenda eſt.

§. 148.

Ubi fundus, prædiumve primo ſecundove haſtæ experimento emtorem, quanti æſtimatum fuit, non invenit; creditores

omnes

omnes in fundum prænotati, priusquam tertia ejus ſubhaſtatio publice edicatur, ad diem decreto convocandi ſunt, addita decreto clauſula, fore, ut abſentium ſuffragia majoribus præſentium adnumerentur; eoque die inquiratur: 1.) qui creditorum & quamdiu credita pecuniarum capita in fundo venum propoſito non renunciata relinquere? quos perſolutionis dies plus offerenti ſuffragiis majoribus concedere? aut quam aliam facilitatem indulgere eidem velint? ut, quæ decreverint, edicto tertiæ ſubhaſtationis inſerantur, quemadmodum & prædii forte dividendi futura alienatio eodem edicto ſignificanda eſt; 2.) ut creditores in fundum in ipſum æſtimationis pretium prænotati explicent, an prædium, ubi in tertia ſubhaſtatione æſtimationis pretium emtor nequidem offerret, eodem pretio in ſolutum unanimi conſenſu accipere velint?

§. 149.

§. 149.

Quæ nec ſub prima, nec ſub ſecunda haſta pretio ſaltem æſtimato vendita fuerint, ea usque claſsificationem perfectam & jura prioritatis abſoluta adſervantor; poſtea res omnis mobilis, quæ exſtat, chirographa æris crediti nondum perſoluta, aliave nomina ad aſſem concurſus ſpectantia, ubi creditores ideo interrogati in ſolutum accipere ea nolint, nulla habita æſtimationis ratione plus offerenti venduntor.

§. 150.

Si neque in tertia ſubhaſtatione fundus, prædiumve, quanti æſtimatum fuerit, integrum & indiviſum emtorem inveniat, nec diviſioni ejus ratio aliqua politica obſit; ſingulæ ejus partes diviſæ tertiæ illi haſtæ ſubjiciendæ, & ſi pretium totius inde redigi poſsit, plus offerentibus pure & ſimpliciter relinquendæ ſunt.

§. 151.

Ubi in tertia subhastatione fundus, prædiumve nec indivisum, nec divisum pretio eo, quo æstimatum fuit, emtorem, emtoresve repererit, creditoresque in ipsum æstimationis pretium prænotati, & ad diem juxta §. 147. ideo convocati unanimi suffragio paratos se declaraverint fundi ejus pretio æstimato in solutum accipiendi; fundus is creditoribus iis pretio, quo æstimatus fuit, in solutum continuo traditor. Ipsi postea, inconsulto judice, de fundo eo administrando, utendo, percipiendisque inde persolutionibus inter se viderint.

§. 152.

Quod si creditores in ipsum æstimationis pretium prænotati de accipiendo in solutum prædio pretio eo, quo æstimatum fuit, omnes non consentiant, licentes vero pretio minore, quam quo æstimatum fuit, in prædium se offerant, prædium ipsum, nulla habita æstimatio-

nis

nis ratione, plus licenti, quamvis unico pretium offerenti, addicitor.

§. 153.

Converſa ratione ſi haſta ter repetita non ſit, qui pretium offerat; haſta ea donec pretium offeratur, ſpatio trium menſium interpoſito ita iteranda eſt, ut ipſa temporis ratio venali prædio non obſit; cujus haſtæ idem, qui tertiæ modus eſto.

§. 154.

Fundum ex aſſe concurſus legitimo quovis modo adquirenti judex inſtrumentum ad fundi dominium conſequendum neceſſarium tradito.

§. 155.

Ante aſsis partitionem tam curator bonorum, ni antea merces ei certa præſtituta fuerit, quam litium curator mercedis ſuæ conſignationem judici adcurate edito, & præſtitam a ſemet operam documentis ex ipſo concurſus proceſſu petitis ſingillatim comprobato; judex audita credito-

rum deputatione mercedi ei, ubi modum excedat, modum ex officio ponito.

§. 156.

At creditoribus, quibus prælationis jus ſine controverſia competit, non exſpectata ea partitione, quamprimum ſatisfaciendum eſt, atque ea ſatisfactio rationibus concurſus interpolanda & juſto calculo demonſtranda eſt; neque ipſa aſsis partitio ob unum alterumve creditum aſsis activum procedente concurſu, vel nec exactum, vel nec venditum retardanda eſt, creditoribus ipſis, ut id exigant & ad aſſem conferant, relinquendum & tradendum.

§. 157.

Ubi res aſsis ea ratione compoſitæ & exæquatæ ſunt, ut creditoribus vel plene, vel pro parte ſatisfieri poſsit; ſi plene ſatisfieri poſsit, curator nulla alia interpoſita mora; ſi pro parte tantum poſſit, poſtulatam a pluribus ſaltem unius

claſsis

claſsis creditoribus partitionem pro ratione prioritatis creditori cuique claſsis hujus, ordine ſuo claſsis aut ſubſequenti ſententia conſtitutæ componito & exæquato, compoſitam & exæquatam partitionem eam ſuis inſtructam documentis creditoribus deputatis de facta ſibi traditione ea ſcripto teſtantibus tradito, traditam cum adjuncta traditionis teſtificatione, addito loco & tempore, quo creditoribus inſpicienda ſit, judici oſtendito; judex digeſtam partitionem eam creditoribus in foro præſentibus, aut patronis eorum, nulla habita ratione, an ſoluti inde quidquam illis, aut non ſoluti redeat, ſignificato.

§. 158.

Creditori cuivis fas eſto partitionem eam penes deputationem inſpicere, examinare, exceptiones, ſi quas moveat, in judicio promere termino quatuordecim dierum a facta ſibi partitionis ejus ſignifica-

ca-

catione; quo termino præterlapſo audiendus ultra non eſt. Exceptiones in partitionem motæ auditis prius creditoribus, quorum ea intereſt, reſolvendæ ſunt.

§. 159.

Ubi intra dies quatuordecim exceptio in partitionem mota ſit nulla, aut quæ mota eſt, jam reſoluta fuerit; deputatio creditorum digeſtam partitionem ſubſcriptione ſua confirmatam judici tradito, judex adſervato, & bonorum curatori exemplar ejus inſinuato cum decreto, ut creditoribus ſe offerentibus pro norma digeſtæ partitionis ſine mora ſatisfaciat.

§. 160.

Curator bonorum creditori cuivis ratam ejus partem erga ſyngrapham perſolvito; quibus creditum integrum perſolvitur, ab iis crediti chirographa & documenta creditum liquidum teſtantia repetito; quibus non niſi pars crediti perſoluti contingit, partem eam in autogra-

pho crediti inſtrumento adcurate notato, perſolutam tradita ſyngrapha acceptæ ſolutionis ſummæ toti deducito; poſtremo creditorum, qui intra menſes tres ſolutum ipſi non repetunt, partem uniuscujusque ratam ſeparatim judicis cuſtodiæ ſeponito.

§. 161.

Edicto in pluribus provinciis concurſu judices concurſus, curatores aſsis & litium conſociatis inter ſe conſiliis & perpetuo literarum commercio caveant, ne quis creditor accepto in pluribus ſimul provinciis ſoluto plus auferat, quam quod pro rata parte ipſi jure contingit.

§. 162.

Curator bonorum communi cum creditoribus deputatis conſilio poſt tres menſes ab inſinuato ſibi (§. 159.) partitionis exemplari judicem de facta creditorum ſolutione diſtincta informatione edoceto, addendo editas ab unoquoque creditorum accepti ſyngraphas, chirogra-

pha

pha reddita, documenta restituta, & partium ratarum, si quas custodiae judicis transdidit, a judicio acceptarum syngraphas; judex examinata diligenter informatione, ubi creditorum satisfactionem autographo partitionis instrumento penes se adservato consentaneam & rite factam deprehenderit, concursum finitum declarato.

§. 163.

Concursus, qui in Bolzani foro mercantili fiunt, emporii ejus statutis peraguntor.

§. 164.

Homines alienae provinciae respectu crediti sui aequo cum indigenis jure sunto, nisi si creditum ab alienigena sit, cujus in patria cives austriaci aequo cum patriae ejus civibus jure non utuntur, quo casu jus reciprocum observandum est. Si de ea re dubium sit, alienigena documentis authenticis de potestate superiore sua pe-

titis ostendat, cives austriacos cum patriæ suæ civibus jure æquo ibidem haberi. Subditi turcarum & provinciarum, in quibus exæquationem eam vigere notum est, omissa juris hujus reciproci probatione, subditos solummodo earum se provinciarum esse demonstranto.

CA-

CAPUT X.

De actione rationum redditarum, ſeu proceſſu rationario.

§. 165.

Rationem reddenti integrum eſto, ab judice petere, ut, cui rationem reddit, is eam adprobare, aut edita defectuum enumeratione improbare cogatur. Petitionem eam editor rationum coram judice ſuo, & ubi dominio cuidam de officio eidem geſto reddantur, coram judice domini competente inſtituito. Judex terminum aptum pro re nata ad adprobandas vel improbandas rationes ſtatuito.

§. 166.

Ubi finito termino defectus nulli editi ſunt, editor acta rotulo concludi petito, judex rationes adprobatas pronunciato.

§. 167.

Singuli defectus numeris progredientibus diſtincti notandi ſunt, addita peculiari ratione defectus notati.

§. 168.

Primam defectuum expoſitionem explicatio, (leuterationem vocant) hanc ſecunda defectuum expoſitio, eandem vero ulterior explicatio (leuteratio) ſequitur. Primæ explicationi (leuterationi) terminus exceptionis, ſecundæ defectuum expoſitioni terminus replicationis, ulteriori autem explicationi terminus duplicationis ſtatuitor.

§. 169.

Dominis privatis liceto rationes officialium ſuorum extra judicium improbare,

re, declarationem earum decretoriam, ſeu ſchedam, quam vocant, reſidui edere; quæ tamen effectu civili eatenus caret, quoad rationum editori de ea juxta §. 71. provocare licet.



CAPUT XI.

De probatione.

§. 170.

Qui factum docet, actor ſeu reus, factum probato; factum, quatenus in probando actor, reusve ſibi deeſt, & adverſarius eidem contradicat, in definitione cauſſæ verum non habetor.

§. 171.

Ea ſola præſumtio, quæ ſpeciali in lege fundata eſt, ab onere probandi liberare poteſt.

§. 172.

Judex, ni lege hac judiciaria expreſſe definiatur, nec probationem litigantibus, nec edita probatione probationem ulteriorem injungito.

CA-

CAPUT XII.

De probatione per confeſsionem.

§. 173.

Circumſtantia facti ab una parte in cauſſa peragenda allegati, quam pars altera in judicio confitetur, ea ipſa in cauſſa plene probata habetor.

§. 174.

Quæ mandatarius, patronus, tutor, curatorve pro cliente ſuo in judicio circa factum confitetur, ea eadem in cauſſa vera habenda ſunt.

§. 175.

Confeſsio facta in judicio ab uno litis ſocio ipſi ſoli, ceteris non officit.

§. 176.

Nemo ad confitendum de jure suo aut obligatione sua cogi potest. Quod quis extra judicium confessus est, adversarium a probatione non absolvit, nisi ei confessus fuerit, de quo sibi constiterat, ejus interesse veritatem rescire.

§. 177.

Confessio judicialis vel extrajudicialis facta eo fine, ut alteri ad probandum inserviat, in ipsum confitentem plenam efficit probationem.

§. 178.

Qui probationem suam in sola adversarii confessione fundat, is confessionem eam integram, quibus verbis & qua in re facta est, veram habeto, nec, rejectis circumstantiis sibi contrariis, iis, quae pro se faciunt, solis utitor.

CAPUT XIII.

De probatione per inſtrumenta & ſcripturas.

§. 179.

Inſtrumenta publica in factum, cujus cauſſa condita ſunt, plenam fidem faciunt.

§. 180.

Inſtrumenta publica ſunt 1.) ſcripturæ, quæ a tabulæ provincialis, judicii, aliisve ſummi principis, aut ordinum provincialium officialibus ad edenda inſtrumenta ea delegatis in rebus officii conficiuntur; 2.) quæ a poteſtate ſuperiore & miniſtris ejus ad actus publicos & edenda ejusmodi inſtrumenta delegatis in rebus

iti-

itidem officii eduntur; 3.) ſcripturæ ab hominibus provinciarum exterarum ad edenda ejusmodi inſtrumenta publica auctoritate inſtructis conditæ, & pro more cujuslibet provinciæ publica fide ſancitae ; 4.) proteſtationes cambii , a notario legitime conſtituto factae , & quæ ab eo rite conficiuntur inſtrumenta, quatenus pro cujusvis provinciæ legibus fide publica ad probationis effectum gaudent; 5.) libri & commentarii proxenetarum, quos ſenſales vocant, legitime conſtitutorum; 6.) nativitatum, nuptiarum & mortium indices a parochis modo a lege præſcripto confecti.

§. 181.

Inſtrumenta contra ſcribentem auctorem probant.

§. 182.

Inſtrumenta ejusmodi privata , ubi præſcripta lege peculiari pro re nata forma inſtructa ſunt, contra auctorem quam-

vis

vis ſimpliciter ſubſcribentem fidem faciunt: chirographa tamen æris alieni poſt legem ea de re latam edita vel edenda, ut plenam fidem habeant, ab ipſo auctore ſeu editore propria manu conſcribenda & ſubſcribenda, & caſu contrario ab ipſo editore cum duobus ſimul teſtibus, quos codex judiciarius exceptione omni majores declarat, ſubſcribenda ſunt.

§. 183.

Chirographum hac ratione inſtructum contra edentem ſemper probat; itaque exceptio non numeratæ pecuniæ non efficit, ut chirographi detentor alio modo ad probandam eam cogatur; non numeratam eſſe debitor ipſe probato, ſiquidem eo ex capite chirographum impugnare ſe poſſe confidit.

§. 184.

Ubi pluribus foliis inſtrumentum conſcriptum ſit, folia ea filo, vel funiculo colliganda ſunt, fimbriis fili, funiculive

cera

cera ſigillari conglutinatis, impreſſo ceræ inſtrumenti editoris ſigillo: factum ni fuerit, folium, quod interpolari poterat, ſide caret.

§. 185.

Ubi inſtrumenti privati editor ſcribendi rudis ſit; teſtium duorum unus, qui inſtrumento ſubſcribant, editoris nomen & cognomen ſubſcribito, editor ſubſcriptionem appoſito ſigno manu ſua exarato confirmato.

§. 186.

Teſtis ſub animadverſione & pœna inſtrumentum non ſubſcribito, niſi ab editore certior factus, inſtrumento eo voluntatem ſuam exprimi. Neque vero neceſſe eſt, teſtem inſtrumenti, cui ſubſcripſit, argumentum ſcire.

§. 187.

Inſtrumentum privatum ab una parte pro ſe & in auctoris commodum conditum auctori fidem non facit.

§. 188.

§. 188.

At libri mercatorum legitimorum, inter quos & mercium fabricatores & pharmacopolae referendi sunt, probationem semiplenam efficiunt, ubi pro eo, qui sequitur, modo habiti sint: 1.) rationes ex adversariis diurnis in libros commerciorum vel propria mercatoris manu, vel ab amanuensi, seu ministro probo, rationum perito, ad hanc rem delegato absque ulla mutatione aut litura transscribendae, neque hi libri diversis plurium hominum scripturis eodem tempore variandi sunt; 2.) accepta & expensas rite & ordine recenseant; 3.) annum, diem, personas, quibus & per quas creditum est, exprimant; 4.) res nullas aut rationes, quae ad commercium non pertinent, contineant; 5.) sermone germanico, italico, gallico aut provinciae vernaculo conscribantur. 6.) Mercator famae integer esto, cujus, si ob

æs alienum concurſu publico petitus eſſet, innocentia plene demonſtrata ſit.

§. 189.

Semiplena hæc probatio, quam legitimi commerciorum libri efficiunt, non niſi in annum unum & ſex menſes valida eſto, computando annum a die crediti & ſex menſes ab ultima præteriti ejus anni die. Mercator itaque anno eo finito factam creditorum conſignationem debitoris ſubſcriptione confirmari faciat; renuentem ante exactos ſex eos menſes coram judice conveniat; ni faciat, libris ſuis vim probandi adimit. Sui tamen arbitrii eſt, vel poſt annum eum intra terminum ſex menſium lege ſibi datum actionem in debitorem movere, vel agnita a debitore & ſubſcripta creditorum ex libro commerciorum conſignatione conquieſcere.

§. 190.

Ubi commerciorum libri mercatoris alienigenæ, qui in hujatem mercatorem, quo-

quorum ei commercium erat, actionem ex iis movet, ex præscripto legum patriæ suæ habiti sint, jus mutuum & reciprocum strictum esto: itaque libri commerciorum mercatoris alienigenæ adversus mercatorem hujatem semiplenam probationem efficiunt, quatenus alienigena comprobet, jus idem probationis libris mercatorum hujatium in patria sua concedi.

§. 191.

Opificum libri vim quoque semiplenæ probationis habent, si ad regulas, quæ sequuntur, exigantur: 1.) opifex ipse bona fama, & si concursus in eum factus sit, innocentia ejus plene comprobata esto; 2.) commentarium diurnum habeto; 3.) acceptum expensum eidem inscribito; 4.) annum, diem, personas, a quibus jussum opus, & quibus & per quos traditum sit, diserte notato; 5.) postremo credita in commentarium relata ex opere facto & tradito orta sunto, atque

inde ad commentarium eum pertineant, oportet. Cæterum ratione temporis, quo libri opificum ſemiplenam probationem efficiunt, eadem, quæ de libris commerciorum §. præcedenti, lex eſto.

§. 192.

Documenta non excerptim ſeu in epitomen redacta, ſed integra ſunt communicanda; atqui ubi ex libro (quo nomine liber is intelligitur, qui plures & diverſos, neque inter ſe conjunctos actus obligatorios continet) excerpenda ſunt, textus integer rem controverſam concernens exhibendus eſt.

§. 193.

Parti ei, contra quam ſcripta documenta allegantur, fas eſto documentorum eorum archetypon, ſeu originalia adcurate & diligenter recognoſcere, ſiquidem recognitionem eam intra dimidium terminum ad exhibendam allegationem ſuam contrariam lege ſibi præfixum

vel

vel in judicio, vel extra judicium petat: quo termino dimidio præterito exceptioni visibilis in originali vitii locus amplius non esto; nec nisi in actione orata, seu processu verbali inspectionem eam ipso constituto die petere jure liceto.

§. 194.

Mercatores, mercium fabricatores, & pharmacopolæ non coguntor libros suos in foro alio, quam quo negotiantur, inspiciendos proferre.

§. 195.

Originalia ea, quibus exceptio vitii visibilis opposita non fuit, penes editorem relinquenda, cætera a litigantibus obsignanda, & futuræ in judicio recognitioni eodem statu, quo extra judicium inspecta & obsignata fuere, non mutata reproducenda sunt.

§. 196.

Repertis inspectione extra judicium originalibus suspectis obsignatisque, aut

denegata plane inſpectione ea extra judicium, fas eſto ei, contra quem documenta ea ſcripta allegantur, inſpectionem eam minimum tres dies poſt decurſum dimidii termini ad edendam allegationem ſuam contrariam ſibi præfiniti in judicio petere; ni fecerit, originalia ea non ſuſpecta habenda ſunt.

§. 197.

Quam ob rem judex diem quam breviſsimum ad audiendas partes dicito. Ubi is, a quo originalia inſtrumenta edenda ſunt, ea dicto die non oſtendat; neque rotulo actorum includenda, neque in cauſſæ definitione attendenda amplius ſunt: deſerto vero ab ipſo adverſario die, non ſuſpecta autographa ea eſſe cenſeantur.

§. 198.

Facta recognitione judex decreto in ſupplici libello, quo dies petitus & conſtitutus fuit, appoſito clare & diſtincte

pro-

pronuntiato, quae originalia suspecta, quae non suspecta habita sint, traditis editori cunctis originalibus, nisi si pars adversa ea, quae suspecta arguit, usque ad caussae definitionem in judicio adservari postulet.

§. 199.

Itaque litigantes, seposita interdum caussa litis, quaestionem eam de adservando apud judicem suspecto autographo peragunto, judex documentum, dum quaestio decidatur, penes se retineto, & an ulterius in judicio adservandum sit, pronunciato.

§. 200.

Ubi inspectionem petens vitium in autographo visibile nullum deprehenderit, aut adservari in judicio autographum non postulet, aut vero editor documenti paratum se ostendat ad deponendum in judicio usque ad definitionem caussae autographum documenti ejus pro suspe-

cto habitum; triplici hoc casu litigantes, omissa constituto die disceptatione, momenta ea de re, si qua adferant, in scriptis ad caussam allegationibus proferant; autographum vero documenti editi pro suspecto habitum ni ab editore rotulo actorum addatur, vitium incusatum in definitione caussæ pro vero habetor.

§. 201.

Qui documentum deperdidit, fas ei esto, facta distincta ejus descriptione a judice petere, ut documenti ejus detentori indicatio ejus injungatur, & nec indicato eo, documentum ipsum antiquetur.

§. 202.

Porro judex interrogato eo, qui in id documentum obligatur, ubi justam rationem nullam in contrarium adferat, eos, qui detinent, edicto citato, ut spatio unius anni documentum id proferant; ni faciant, documentum se antiquaturum,

aucto-

auctorem ab omni obligatione in detentores documenti ejusdem abſoluturum eſſe edicito.

§. 203.

Citatio ea pro more conſueto publicanda, & finito fruſtra ſpatio præfixo documentum antiquandum eſt.

§. 204.

Qui documentum absque culpa adverſarii amiſit, documenti ejus argumentum rationibus aliis jure comprobato: ubi adverſarii culpa amiſſum eſt, nec argumentum ejus a neutra parte alia ratione jure comprobari poſsit; permiſſum eidem eſto, argumentum documenti deperditi jure jurando confirmare.

§. 205.

Inſtrumenti vetuſtate, aut alia de cauſſa corrupti, ita ut lectu difficile ſit, fas eſt ei, in cujus manu eſt, & cujuscunque ea intereſt, renovationem judicialem petere,

interrogatis omnibus, contra quos inſtrumentum illud probare poſsit.

§. 206.

Ubi interrogati in contrarium nihil ſentiunt; inſtrumentum renovandum eſt, renovatum loco autographi in eos eſto. Si exceptiones objiciant, reſolvendæ eæ prius ſunt.

§. 207.

Negantem documentum contra ſe allegatum manu ſua exaratum eſſe allegans conferendo documentum cum alia ejus nota ſcriptura, aut alia ratione convincito, &, ſi opus ſit, delato jure jurando conſtringito.

§. 208.

Adſerente uno documentum a ſe allegatum ſcriptum olim a mortuo fuiſſe, altero, in quem allegatur, contradicente, probanti incumbit, quod adſerit, conferendo ſcripturas, deferendo, ſi opus ſit, jure jurando, aut aliis modis evincere.

§. 209.

§. 209.

Comparatio ſcripturarum quam fidem mereatur, judex ex circumſtantiis dignoſcito.

CA-

CAPUT XIV.

De probatione ordinaria per teſtes.

§. 210.

Probationem per teſtes niſi per ſententiam interlocutoriam judicis inſtituere fas non eſto.

§. 211.

Plenam probationem, ubi ea non niſi per teſtes fit, teſtes duo fide digni, in dicendo teſtimonio concordes efficiunt; ubi probationes aliæ per ſe quidem non ſufficientes allegatæ ſint, teſtimonium teſtis unius fide digni, vel etiam unius pluriumve teſtium ſuſpectorum, quod probationi de-

deest, explere potest. Neque eo minus testium plurium suspectorum testimonio probatio plena effici potest; & judex, num plena ea sit probatio, circumstantias adcurate expendendo dijudicato.

§. 212.

Ubi probatio per testes ab una alterave parte per se se, vel cum probationibus aliis conjuncta plena esse videatur, & rem circumstantiae, quae comprobandae sunt, decidant; judex offerentem sententia interlocutoria ad probationem admittito.

§. 213.

Judex sententia interlocutoria distincte pronunciato, qui nominatorum testium (nec fas ei numerum testium definire) ad testimonium dicendum admittendi? qui rejiciendi sint? qui articuli probatorii testibus interrogandis proponendi? qui non admiscendi sint? Itaque nec circumstantias penitius definiat, nec in caussa

prin-

principali ſententiam ſub conditione ferat, verum rejectis juxta §§. ſequentes aut non idoneis, aut in inutiles, nulliusque ponderis articulos oblatis teſtibus, & reſecatis articulis probatoriis inutilibus & otioſis, in ſententia interlocutoria ſolos numeros admiſſorum, vel rejectorum articulorum deſignato.

§. 214.

Rejiciendi omnino, nec ſine expreſſa partis adverſæ voluntate ad jus jurandum admittendi ſunt teſtes, qui ob animi, corporisve habitum verum reſcire certo non potuerunt, aut verum dicere certo non poſſunt, quales etiam ſunt impuberes quatuordecim annos minores.

§. 215.

Rejiciendi omnino teſtes, & contradicente parte adverſa ad jus jurandum non admittendi ſunt damnati delicti criminalis, quod ex fraude, ad inferendum inſcienti damnum, aut turpis lucri cupidi-

tate

tate processit, exceptis, siqua ante inquisitionem, quam criminis ejus caussa subiere, testimonia dixerint.

§. 216.

Rejiciendi porro sunt testes, & contradicente adversa parte ad jus jurandum non admittendi 1.) consanguinei omnes ascendentes & descendentes; 2.) vir & uxor; 3.) ii, qui eadem in caussa probantis patroni sunt vel fuere; 4.) qui directe vel indirecte commodum ex lite eadem sperant aut damnum metuunt. At nominati §. hoc testes ad integrandam probationem eatenus valent, quatenus probanti jus jurandum suppletorium permitteretur.

§. 217.

Suspecti, nec tamen rejiciendi sunt 1.) patrueles & consobrini, & qui probantem linea obliqua propiori gradu contingunt; 2.) qui eodem gradu affines sunt; 3.) famulus, ancillave pro dominis, qui-

bus

bus ſerviunt; 4.) judaeus pro judaeo in chriſtianum; 5.) ii, qui duodeviceſimum aetatis annum nondum adimplevere; 6.) duodevicennes teſtimonium dicturi de eo, quod antequam ætatem eam attigere, accidit; 7.) qui cum adverſario ſuo magnas inimicitias gerunt; 8.) damnati delicti criminalis, quod nec fraude nec turpis lucri cauſſa commiſſum eſt.

§. 218.

Inquiſiti de delicto criminali, qui innocentiam ſuam plene comprobarunt, ſuſpecti non ſunto: ſuſpecti contra ſunto, ſi ob deficientiam probationum abſoluti & dimiſſi fuerint.

§. 219.

Quam fidem teſtis ſuſpectus faciat, judex pro rei circumſtantiis adcurate expendito.

§. 220.

Admiſſus ſententia judicis ad probationem per teſtes, ſiquidem utraque pars

pars ſententiæ judicis acquieverit, tres dies poſt finitum gravaminum terminum, hoc eſt antequam octodecim dies lapſi ſint, aut ubi cognitio ea ab tribunali ſupremo lata fuerit, intra dies quatuordecim probationem inſtituito; quibus incaſſum finitis peremta probatio eſto. Quam ob rem editis articulis probatoriis, interlocutoria ſententia adprobatis, teſtes ad reſpondendum admiſſos nominato; in quos articulos audiendus quisque ſit, notato; diem, horam, decurſum duodeviceſimi diei locum teſtium interrogandorum poſtulato. Teſtes interlocutoria ſententia admiſſos a probante non nominatos & præteritos poſtliminio inducere fas ei non eſto.

§. 221.

In locum teſtis interlocutoria ſententia admiſſi, ante interrogationem demortui, teſtem alium ejusdem notæ & fidei ſufficere, & ut admittatur, a judice petere intra terminum ad inſtituendam probati-

bationem ſtatutum probanti liceto. Judex hac de re diem dicito, & auditis partibus de petito decernito.

§. 222.

Ubi teſtes producti ſub jurisdictione judicis, coram quo lis eſt, per ſe ſint, judex diem ad teſtes vel per ſemet ipſum vel per delegatum interrogandos pro ratione rei, & ad ſummum trigeſimum indicíto.

§. 223.

Indicta die decretum ſtatuti ejus diei una cum apographo articulorum probatoriorum parti adverſæ ſpatio trium dierum inſinuandum eſt: quo facto parti ei integrum eſto, interrogatoria ſua ad diem adferre; ni adferat, teſtes nihilominus audiendi ſunt, nec interrogatoriis locus amplius eſto.

§. 224.

Interrogatoria generalia alia non ſunto, quam quæ ſequuntur: 1.) quod teſti

teſti nomen ſit & cognomen? 2.) qua ſit ætate? 3.) quo ſtatu, conditione, dignitate? 4.) an probantis conſanguineus, affinis? 5.) quo gradu? 6.) an cum parte adverſa graves inimicitias gerat? 7.) quæ ſint eæ inimicitiæ? 8.) an ex lite ea utilitatem ſperet, aut damnum metuat? 9.) quam utilitatem? quod damnum? 10.) an ob teſtimonium dicendum promiſſum quidquam aut acceptum tulerit? 11.) quid? a quo?

§. 225.

Interrogatoriis propoſitis nullis, judex vel delegatus, cui teſtes interrogandi ſunt, teſtes pro modo ſupra demonſtrato generaliter ex officio interrogato: teſtem articulos probatorios adfirmantem repetita interrogatione quærito: unde compertum id ſibi ſit? teſtem obſcure & vage reſpondentem: "id vero ipſum ſe „teſtem ſcire," & ſimilia, reſponſione ea non contentus dimittito.

§. 226.

Claram ſcientiæ circumſtantiarum, quas teſtis promit, rationem inquirito, propoſitis quamvis ab altera parte interrogatoriis. Teſtis, qui ejus rei, quam pro teſtimonio dicit, rationem adfert nullam, nulla fide in re ea eſto.

§. 227.

Si teſtes jurisdictioni judicis, coram quo lis vertitur, per ſe non ſubſint, judex, exhibito ſibi una cum probatoriis articulis ſupplici libello, judicem teſtium competentem literis requiſitoriis compellandum decernito, ut teſtes interroget, & quæ pro teſtimonio dixerint, ſcripto ſibi transmittat, recepta in ſe ſumtuum interrogationis ejus compenſatione. Probanti itaque cum ſupplici libello probatorii articuli multiplicandi ſunt pro numero judicum, quibus interrogandi teſtes ſunt. Teſtis, qui ſub jurisdictione partis

tis alterutrius est, non quidem a judice proprio, sed ab eo, coram quo lis est, interrogator, aut vero judex proximus ad interrogandum eum requirendus est.

§. 228.

Decretis literis his requisitoriis, decretum illud cum apographo articulorum probatoriorum parti adversæ intra tres dies insinuator; adversarius spatio dierum quatuordecim interrogatoria sua edito, literis requisitoriis una cum articulis probatoriis includenda.

§. 229.

Interrogatoriis ab adversario non editis, literæ eæ requisitoriæ una cum articulis probatoriis & interrogatoriis §. 224. præscriptis, judici, ad quem spectant, sine mora transmittendæ sunt, addita clausula, ut in claram scientiæ rerum, quas testis in articulos probatorios expromit, rationem penitus indaget.

§. 230.

Judex requiſitus teſtes ex officio citato, interrogato, quæ pro teſtimonio dixerint, cauſſæ judici non cunctanter transmittito.

§. 231.

Ubi interrogatio teſtium, qui eodem ſub judice ſunt, intra dies quatuordecim a die præſtiti a teſtibus jurisjurandi abſoluta nondum ſit, aut teſtium mora, qui alia ſub jurisdictione ſunt, retardetur; probans ſeu teſtes producens judici controverſæ cauſſæ moram illatam accuſato, judex mulctam teſtibus comminando, aut delegatum ad interrogationem eam ſuperiori ejus denunciando interrogationem promoveto.

§. 232.

Quemcunque judex ſuus ad dicendum teſtimonium evocat, teſtimonium non invitus dicito; renitentem judex mulcta pecuniaria & pœnis aliis compellito.

§. 233.

§. 233.

Testis quilibet ante interrogationem de perjurio admonitus jurato dicito, se ad ea, quæ interrogatus fuerit, sine restrictione mentali, aperte nec ambigue, id quod sentiat & quod verum sit, absque studio vel odio ullius responsurum, nec quidquam omissurum, aut de eo, quod pro testimonio dicturus est, cuiquam patefacturum, priusquam ab ipso judicio publicum factum sit. Ceterum litigantibus integrum esto aut ipsis per sese, aut per procuratorem in jure jurando eo præsentes esse.

§. 234.

Judex testes audiendos pro conditione eorum de perjurio decenter & prudenter admoneto.

§. 235.

Testis juraturus, seu clericus, seu laicus, mas vel femina, pollice & pri-

mis duobus digitis manus dexteræ porrectis jurato.

§. 236.

Formula jurantis hæc esto: ita me Deus adjuvet. Judæis formula hactenus usu recepta eadem imposterum esto.

§. 237.

Testis unusquisque semotis partibus & testibus reliquis audiendus est; quæ quisque pro testimonio dixerit, ea ex ordine articulorum probatoriorum, additis in unamquamque interrogatoriis eo pertinentibus, ipsis, quoad ejus fieri potest, testium verbis scripto excipienda sunt; scripto excepta testi legenda tradantur, saltem prælegantur; prælectis testis subscribito; scribendi rudis signo aliquo manu sua facto notato, & ad subscribendum nomen suum manu aliena viri ad hanc rem rogati utitor.

§. 238.

Quæ testis in testimonio edito, dum ipsi prælegitur, mutat aut adjungit, ea in fine testimonii editi ipsis testis verbis scripto adduntor, testimonio ipso nec mutato, nec interpolato.

§. 239.

Testi in loco, ubi interrogatur, commoranti pro tempore ad dicendum testimonium impenso nihil debetur; testi tamen operario pro arbitrio judicis temporis jactura compensanda est: qui in loco eo non morantur, iis sumtus vecturæ pro ratione conditionis aut valetudinis sibi debitæ rependendi sunt, & decens in diem honorarium pro arbitrio judicis interrogantis a producente persolvendum.

§. 240.

Testes in judicio testimonia dicunto. Infirmos aut gravi alia caussa impeditos judex pro sua prudentia domi illorum interrogato.

§. 241.

Parte una ad probationem per teſtes admiſſa, probatio contraria parti adverſæ, ſiquidem ponderoſam offerat, eadem interlocutione reſervanda eſt, expreſſis ſententia interlocutoria ea teſtibus admiſſis & probatoriis articulis: probationem eam contrariam pars adverſa quatuordecim diebus ab inſinuatis ſibi articulis probatoriis inſtituito; ni ſpatio eo inſtituat, ab inſtituenda præcluditor.

§. 242.

Probationis contrariæ idem ac probationis primæ inſtituendæ ordo & modus eſto.

§. 243.

Ubi finitum teſtium articulis probatoriis nominatorum examen, & quæ pro teſtimonio dixerint, ſcripto congeſta jam eſſe ephemeride in judicio publice affigenda declaratum fuerit; parti utrique

inte-

integrum eſto, apographa eorum, quæ pro teſtimonio dicta fuere, a judicio expetere; apographo dies, quo editum fuit, a cancellaria indicandus.

§. 244.

Producenti jus eſto, nulla alia re allegata, poſtulare, ut acta rotulo concludantur & cauſſa definiatur. Allegationem tamen probatoriam, ſi quam edere volet, termino quatuordecim dierum a die eo, quo apographa teſtimoniorum edebantur, edito: non edita ſpatio eo allegatione ab edenda ea excluditor.

§. 245.

Allegationem probatoriam a producente tempore ſuo editam, & parti adverſæ inſinuatam, pars adverſa intra quatuordecim dies exceptione ſua excipito; nulla allegatione a producente edita nulla, integrum adverſario eſto, momenta ea, quæ in probatione pro ſe

facere credat, repetere, & allegatione sua explicare, producente ipso non audito; allegationem attamen eam quatuordecim diebus post terminum eum, qui producenti ad edendam allegationem suam ulteriorem finitus erat, edito; non edita, pro deserta esto.

§. 246.

Circumstantiam aut documentum ante sententiam interlocutoriam nec explicatum, nec editum allegationibus his non movento; novum, quod adjunctum fuerit, pro nullo esto.

§. 247.

Praeter duas allegationes eas concessa alia non esto.

CAPUT XV.

De

probatione in perpetuam rei memoriam.

§. 248.

Cui jus est in alterum, quamvis conditioni superstructum, nec scripto tamen documento confirmatum, jus itidem ei est, scriptum ab altero documentum juris ejus sumtu suo exigere.

§. 249.

Quo renuente, fas sibi esto, renuentem edita actione ad edendum documentum compellere.

§. 250.

Qui actionem ab altero præmetuit, contra quam validas habeat probationes, ſcripto quidem non firmatas, jus ei eſto ſcriptum earum documentum ab altero petere, recuſantem coram judice convenire.

§. 251.

Qui teſte idoneo, quo actionem aut exceptionem ſuam judici probat, quacunque de cauſſa fruſtratum ſe iri non ſine ratione præmetuit, fas ei eſto petere, ut teſtis is vel ipſa in lite, vel ante litem in perpetuam rei memoriam pro judicio audiatur.

§. 252.

Probatio in perpetuam rei memoriam coram judice eo inſtituitor, apud quem futura juris ejus vel actio vel exceptio edenda eſt.

§. 253.

Judex indicta eam ad rem die partem adverſam interrogato, atque an proba-

bationi ad perpetuam rei memorium locus ſit, qui teſtes, & quos in articulos probatorios audiendi ſint, edicito. Decreta ad perpetuam rei memoriam probatione modus & ordo probationis, qui capite præcedenti, idem eſto.

§. 254.

Ubi in mora periculum ſit, nec quæ priori §. ſtatuuntur, obſervari poſsint, aut ſi inſtituta jam probatione ad perpetuam rei memoriam pars adverſa certo non innoteſcat; judex propoſitis ex officio interrogatoriis generalibus teſtes in ſolos articulos probatorios audito, rationem ſcientiæ uniuscujusque penitiorem perquirito. Atqui eo in caſu adverſæ parti integrum eſto, dum ultimam ſuam allegationem ſcripto edat, propoſitis interrogatoriis teſtes antea jam juratos, & jurisjurandi ejus admonitos interrogare. Quæ teſtes in cauſsis §. hoc deſignatis pro teſtimonio dixere, ea in judicio ob-

obſignata adſervanda ſunt, nec reſignanda, niſi quum judex in teſtes ſolos ad perpetuam rei memoriam interrogatos ſententia interloquutus fuerit, aut ubi pluribus admiſsis teſtibus admiſſorum quoque interrogationes finierit.

CA-

CAPUT XVI.

De probatione ſummaria per teſtes.

§. 255.

Si qua pars circumſtantiæ, circumſtantiarumve facti ſcripta a teſtibus teſtimonia adferat, pars altera conſentiendo, ut teſtimonia ea jurejurando a teſtibus confirmentur, jus ſuum interrogandorum teſtium remittat: judex cauſſa ſeu ſcripto, ſeu ore peracta non probationem ordinariam, ſed teſtimonia jure jurando confirmanda eſſe decernito. Attamen in proceſſu verbali, conſentiente teſtium juri jurando parte adverſa, judex pro arbitrio

te-

testes ipsos ad diem convocato, ipsorum testimonia præsente parte utraque (habita ratione §. 20.) protocollo excipito, omissa probatione ordinaria testimonia jure jurando a testibus confirmanda edicito.

§. 256.

Decreto jure jurando de dictis testimoniis aut scripto editis, pars probans post tres dies, quam ea judicis sententia in rem judicatam abierit, nempe ante lapsum diem undevicesimum, aut ubi a judice ultimo lata sit, intra quatuordecim dies diem ad præstandum jus jurandum petito, ni faciat, probatio pro deserta esto.

§. 257.

Pars utraque cum testibus ad diem constitutum vocator; jus jurandum tamen, absente quamvis una, aut utraque parte, præstandum est.

§. 258.

§. 258.

Testes, ubi diem constitutum ipsi deserunt, mulctis pecuniariis, atque aliis poenis ad comparendum coguntor; itaque si sponte coram judice caussae controversae in edita ab se testimonia jurare nolint, pars probans coram judice eo, cujus sub jurisdictione testes sunt, diem constitui postulato.

 

CAPUT XVII.

De probatione per expertos.

§. 259.

Probatio per expertos (experti ſunt, qui rem, de qua agitur, juſta artis ſcientia & judicio æſtimare poſſunt) inſtituenda non eſt, niſi ſententia interlocutoria, aut judicis decreto inducatur; at judex eam non niſi neceſſariam & cauſſa ſatis cognita inducito.

§. 260.

Inducitur hæc probatio petente eam una vel altera parte decreto judicis: 1.) ubi periculum ſit, ne forma rei controverſæ immutetur, priusquam judex cogni-

gnitionem rei ejus habuerit; 2.) ubi periculum aliquod in mora ſit, ne pars adverſa de re ea interrogari poſsit; 3.) aut ſi audita parte altera pars utraque in probationem eam conſentiat.

§. 261.

Conceſſa per ſententiam interlocutoriam probatione ea, pars probans ſpatio §§. 227. & 263. finito diem ad eam rem petito; ni petat, probatio pro deſerta eſto. Judex ad inſpiciendam rem diem, horam, locum ſtatuito, expertos, & ni rem inſpicere ipſe velit, delegatum unum aut duos e judicio nominato. Quodſi experti deſignati in loco exſiſtant, judex nec alios, nec eos, qui artem, ſcientiamve, ad quam res controverſa pertinet, pro conditione ſua, munere, aut negotio publice non exercent, invitos nominato.

§. 262.

Ubi pròbatio ea per decretum inducitur, decreto eo diem ſimul judex ſtatuito,

to, expertos, & quos pro re nata delegat, nominato.

§. 263.

In probatione ea expertus is non admittendus eſt, cujus teſtimonium in re ea controverſa rejiciendum, aut ſuſpectum tantum foret: quem judex ita nominaverit, eum rejicere & alium requirere parti utrique intra dimidium terminum diei ad inſpiciendam rem ſtatuti liceto; ſecus audienda pars nulla amplius eſto.

§. 264.

Rejecto itaque juſta aliqua de cauſſa experto ab una, alterave parte, judex in ejus locum expertum alium continuo ſufficito, partem adverſam de novo experto rite edoceto.

§. 265.

Judex diem ad inſpiciendam rem ſtatuendo congruam una ſummam in ſumtus diei dicti decernito, qua, ni eam pars probans cum judice, & expertis ultro

trans-

transegerit, a probante exacta, rem inſpicito, aut inſpiciendam curato, abſente quamvis una vel utraque parte.

§. 266.

Priusquam inſpiciatur res, judex ab eove delegatus expertos antea juratos juramenti ſui explicite admoneto, non juratos jurejurando adigito, ut rem controverſam adcurate inſpiciant, & quæ judici de ea ſcitu neceſſaria ſint, ingenue & clare oſtendant.

§. 267.

In re inſpicienda fas eſto partibus, quod cuique opportunum videatur, expertos admonere.

§. 268.

Plena probatio per expertos unanimi duorum expertorum arbitrio de qualibet rei qualitate, quæ probanda eſt, efficitur; diſſentientibus ipſis judex ab eove delegatus tertium adjungito, juratum,

prout ſupra demonſtratum eſt, aut de jurejurando admonitum.

§. 269.

Arbitrium, cui tertius accedit, ratum eſto; ſi neutri accedit, inſpectio ea adjunctis aliis expertis iteranda eſto.

§. 270.

Experti arbitria ſua ſtatim, & antequam partes a die conſtituta diſcedant, ſcripto edita, & ſubſcripta judici, aut delegato judicis tradunto; aut vero ore pronunciata judex, ab eove delegatus juſto protocollo explicite excipito; experti protocollo ei ſubſcribunto. Arbitria ea de ſola rei controverſæ qualitate, præterito omnino partium jure, edenda, atque judici continuo tradenda ſunt.

§. 271.

Judex, ejusve delegatus expertorum arbitria partibus ſtatim, & antequam diſcedant, prælegito, quod forte obſcurum aut mancum interciderit, extemplo corrigi

rigi facito, & correctionem in fine arbitrii cujusvis notato.

§. 272.

Arbitrii expertorum exemplaria petere parti utrique fas esto. Atqui ubi probatio ea per expertos sententia judicis interlocutoria concessa fuit, parti utrique citra ulteriorem allegationem integrum est petere, ut acta rotulo concludantur, & caussa definiatur. Quodsi probatio ea per decretum inducta fuerit, pars utraque arbitriis expertorum pro suo jure & libitu utitor. Cæterum superarbitrio expertorum locus non esto.

§. 273.

Aestimatio, id est, pretii rei demonstratio, eodem modo peragenda est; rite peracta ea, superæstimationi locus amplius non esto. Et quum pretium rei regula aliqua generali describi non possit, æstimatores jurejurando obligati verum rei pretium, expensis adcurate omnibus

rei circumſtantiis indicanto: in re vero immobili verus rei fructus annuus præcipuo reſpectu eſto.

§. 274.

Inſpectionem judicialem judex ſine juſta & ſufficiente ratione non decernito; dum autem eam decreverit, viros expertos duos adhibeto, ſervato ordine & modo ſuperius demonſtrato.

CAPUT XVIII.

De juramento litis decisivo.

§. 275.

Pars ea, quae in caussa controversa transigere jure potest, parti quoque adversae facti circumstantias contradicenti, quamvis ab omni probatione destituta, jusjurandum deferre jure potest.

§. 276.

Cui jusjurandum defertur, jus ei esto conscientiae probatione contraria exonerandae, atque ea probatio, ubi ad testes provocet, sententia judicis interloquutoria concedenda est; quodsi manca ea, & in-

invalida ſit, fas ei non eſto nec acceptare jusjurandum ſibi delatum, nec referre.

§. 277.

Probatione contraria exonerandæ conſcientiæ non oblata, ubi is, cui jusjurandum defertur, ad id præſtandum ſe offerat; jusjurandum id ab eo, cui delatum eſt, præſtandum: ſi præſtitum non ſit, pro relato habendum eſſe pronuntiator: ubi delatum referat, relatum adverſæ parti judex injungito, quod relatum jusjurandum ſine exceptione ulla præſtandum eſt. Quodſi is, cui jusjurandum defertur, in neutram partem diſtincte ſe declaret; ſententia judicis adigitor, aut juramentum acceptare, aut illud deferenti referre.

§. 278.

Quatenus jusjurandum, quod delatum referri nequeat, ab eo, cui defertur, ni-

nihilominus acceptandum ſit, judex pro rei circumſtantiis expendito. Si jure delatum decernit; quin exceptioni locus ſit, præſtandum eſt.

§. 279.

Offerens ſe jurijurando ſibi delato ſi circumſtantias ab adverſario allegatas *pro ſua ſolius ſcientia et recordatione* jurato contradicat, ſufficit; quodſi circumſtantiæ, quas ipſemet allegaverit, jurejurando firmandæ ſint, eas abſolute & absque clauſula jurejurando confirmato.

§. 280.

Litiganti in propria cauſſa jusjurandum litis deciſivum in proprio & alieno facto deferri jure poteſt; idem litiganti in cauſſa aliena non niſi de facto proprio jure defertur.

§. 281.

Judex ſententia formulam jurisjurandi clare præſcribito, neglectis & omiſsis otioſis, nec pertinentibus ad rem circumſtantiis, in quas jusjurandum id uni ab altero delatum & quamvis ſponte acceptum fuerit.

§. 282.

Quem judex ad recipiendum in ſe jusjurandum litis deciſivum, vel ad referendum, aut declarationi ſuæ convenienter præſtandum ſententia obligaverit, is tribus diebus, poſtquam ſententia ea in rem judicatam abierit, id eſt, ante lapſum diem duodeviceſimum, aut ſi ſententia ea ab ultimo judice lata ſit, intra dies quatuordecim ab inſinuata ſibi ſententia voluntatem ſuam judici ſcripto declarato; non declarata ea jusjurandum delatum pro relato eſto.

§. 283.

Ubi delatum juramentum præstare se velle declarat, judex diem ad præstandum jusjurandum indicito. Quo die, eo non præstito, ad præstandum idem non admittitor, atque contrarium ejus, quod jurandum ipsi erat, pro vero habetor.

§. 284.

Ubi vero deferenti jusjurandum refert, aut declarationem voluntatis suæ ejus rei caussa tempore præscripto non edit; pars adversa spatio trium dierum ab insinuata sibi declaratione ea, vel edita declaratione nulla, post lapsum termini ad præstandum delatum jusjurandum statuti, diem ad præstandum id jusjurandum expresse, aut tacite relatum petito, atque die eo illud præstato: non præstito, contrarium ejus, quod jurare debuerat, pro vero habetor.

§. 285.

Qui ad præstandum relatum sibi jusjurandum sententia judicis obligatur, is post tres dies, quam sententia ea in judicatum abierit, aut ubi sententia ea ab ultimo judice lata sit, quatuordecim diebus ab insinuata sententia diem ad præstandum id jusjurandum petito; ni faciat, contrarium rei ejus, in quam jurare debuerat, pro vero habetor.

CA-

CAPUT XIX.

De jurejurando ſuppletorio.

§. 286.

Ubi in circumſtantia gravi, litis deçiſiva pars non quidem probationem plenam, attamen ſemiplenam, aut ſemiplena majorem allegaverit, ſeque ad circumſtantiam eam jurato çonfirmandam obtulerit, judex parti ei tum demum, cum reliquæ cauſſæ cirçumſtantiæ cum eo, quod adſerit, conſentiunt, & fidem ei adſtruunt, juramentum ſuppletorium deferre pòterit.

§. 287.

Ubi neque ſe offerat, nec parti alteri, prout ſupra præſcriptum eſt, jusjurandum litis deciſivum deferat, circumſtantia, quam adſerit, fide nulla eſto, nec fas, adverſæ parti jusjurandum purgatorium deferre.

CA-

CAPUT XX.

De in litem jurando.

§. 288.

Qui vi injuſta alterum lædit, rem alienat, aut cujus culpa res perditur, aut corrumpitur, quam eſſe rem alterius, aut ab altero petitum iri ſcit: qui, quod tradendum alteri, conficiendum, aut faciendum ſibi probe eſſe novit, tempore fixo nec tradit, neç conficit, nec facit; in eum læſo jus eſto, damnum illatum tanti, quanti jurare ſe velle obtulerit, æſtimare, judex offerentem ad jusjurandum admittito.

§. 289.

* Actor damno imputato, quidquid in jure ſuo tempore fixo ſibi non præſtito vel damni emerſerit, vel utilitatis ceſſaverit.

§. 290.

Actòrem, ſi modum in æſtimando exceſſerit, judex in ſententia ſua, prout æquum eſt, civili moderatione coerceto, habita potiore ratione læſi, quam lædentis; & quamvis diſerte ſe non offerenti, jusjurandum in ſummam moderatione ſua finitam pro re nata ex officio deferto.

§. 291.

Qui quidem ſibi jure deberi, ejus vero, quod repetit, ſummam ſufficiente probatione non edocuerit, neque ex ipſa rei indole edocere potuerit; eum judex in ſummam eam, quatenus ex ipſa actione non emergant graviores cauſſæ ad modum illi ſtatuendum, jurare permittito.

§. 292.

Ubi vero ſummam eam ſufficiente probatione edocere potuiſſet, nec tamen edocuiſſet; judex quidem jusjurandum ipſi permittito, ſed ſummæ illi ſententia ſua, habita potiore ratione adverſæ partis, modum æquum ſtatuito.

CAPUT XXI.

De juramento manifestationis.

§. 293.

Qui ad profitendum æs alienum, aut bona jure obligatus est, petente parte contraria veritatem professionis suæ jurato.

§. 294.

Qui conscientiæ de reticentia & occultatione bonorum profitendorum præsumuntur, petente actore, quidquid de bonis illis notum iis sit, profitentor, professionem jurejurando confirmanto.

CAPUT XXII.

De jurejurando in genere.

§. 295.

In præſtando jurejurando nec cærimoniæ aliæ, nec formulæ adhibeantur, quam quæ cap. XIV. §§. 242. & 243. præceptæ ſunt.

§. 296.

Qui rem controverſam condonare poteſt, poteſt & jusjurandum remittere.

§. 297.

Jusjurandum judiciale per procuratorem præſtari valide nequit, ſed ab eo ipſo, cui defertur, præſtandum eſt.

§. 298.

Probationem, vel antiprobationem jurejurando ſuſcepturus, jus id jurandum poſt tres dies, quam ſententia in rem judicatam abierit, id eſt, ante lapſam diem duodeviceſimum, & ubi ſententia a judice ultimo perlata ſit, intra dies quatuordecim ab inſinuata ſibi ſententia præſtato; non præſtito, probatio ea, vel antiprobatio deſerta eſto.

§. 299.

Ubi abſens a foro ob nimium dispendium, incommodumve ad præſtandum jusjurandum ſiſtere ſe non poſsit; procurator abſentis tempore præſcripto literas requiſitorias ad judicem loci, ubi abſens moratur, edi petito, ut judex is ex transmiſſa ſibi una cum literis requiſitoriis formula jusjurandum præſtari faciat, de præſtito jurejurando cauſſæ judicem edoceat, & formulam ſimul remittat.

§. 300.

Integrum esto parti adversæ jurijurando ei per semet interesse, aut alium pro se eo delegare; quod ubi facere non sataget, jusjurandum nulla habita ratione absentiæ ejus præstandum est, atque id literis requisitoriis addendum.

§. 301.

Si fieri non possit, ut jusjurandum requisitione ea exigatur; formulam jurisjurandi is, a quo præstandum est, subscriptione sua autographa confirmato, ac sublata difficultate, quæ a jurando eum impedierat, quatuordecim diebus postea diem ad jurandum indici petito.

§. 302.

Formula tali modo confirmata, quoad impedimentum præstandi jurisjurandi existit, pro præstito esto, & quæ sententia secundum id judex decreverit, juranti jura tribuit. Integrum tamen esto parti adversæ pro rei circumstantiis cautionem

ab eo exigere in tempus id, quo ſublato jam impedimento, jus ipſum jurandum non præſtiterit.

§. 303.

Qui ob valetudinem, aut ætatem in judicio jurare non poſſunt, domi ſuæ coram uno, aut duobus viris a judice delegatis juranto.

§. 304.

Judex, nec citato adverſario, ubi is procul a foro moretur, jusjurandum exigito; integrum tamen ei eſto jurijurando vel per ſemet ipſum, vel per procuratorem intereſſe.

§. 305.

Si pars aliqua ante jurandum nova probationis, aut antiprobationis argumenta repererit, & juſtis rationibus oſtendat, ſe argumenta ea nec protelandæ, nec intricandæ litis gratia reticuiſſe; judex partem eam, omiſſo partis adverſæ jurejurando, ad inſtituendam probatio-

nem

nem, aut antiprobationem eam admittito.

§. 306.

Ubi probatio ea, vel antiprobatio efficax non fuerit; jusjurandum ab adversa parte amplius non exigendum eſt, ſed pro præſtito habendum.

§. 307.

Pars jusjurandum in judicio offerens, quod ſubſequente judicis ſententia ſibi defertur, ubi ante jurandum moritur; jus id jurandum, ſive ante, ſeu poſt ſententiam mors conſecuta ſit, pro præſtito eſto, niſi pars ipſa jusjurandum appellatione interpoſita, aut alio modo retardaverit.

§. 308.

In teſte hæc regula tum demum obtinet, cum is in judicio die quodam dicto ore, vel edita ſcripta declaratione ad teſtimonium ſuum jurejurando confirmandum ſe obtulerit, eique adverſarius conſenſerit, atque ita de jure ſuo teſtem inter-

terrogandi deceſſerit, judex conſequente ſententia jusjurandum decreverit, teſtem vero ipſum, quin mora ulla interceſſerit ab eo, pro quo juraturus erat, in jurando mors præverterit.

§. 309.

Siquis perjurium ab adverſario factum probare ſe poſſe confidat; is capita & documenta accuſationis ſuæ ad judicium poenale deferto, a quo pro re nata inquiſitio conſequens ex officio inſtituatur.

§. 310.

Confeſſus de perjurio, aut convictus, quidquid perjurio eo evicit, cum damno omni & ſumtu rependito.

§. 311.

Teſtibus vero quamvis perjurium confeſsis, pars cauſſæ victrix illorum teſtimonio, ut quidquam reſtituat, non obligatur: victor rem ſuam a teſte perjurium confeſſo repetito.

§. 312.

§. 312.

Teſtibus aliter de perjurio convictis, ubi, exceptis eorum teſtimoniis, documenta reliqua ne probationem quidem ſemiplenam efficiant, pars victrix cauſſam victæ reſtituito: quodſi ſemiplenæ ſufficiant, modus procedendi idem eſto, qui ſupra de jurejurando ſuppletorio præſcriptus eſt. Neque eo minus is, qui teſtem ad perjurium illexit, non modo ad præſtandum indemnem penitus adverſarium tenetur, ſed pro lege pœnali inſuper puniendus eſt.

CA-

CAPUT XXIII.

De rotulo actorum.

§. 313.

Posteaquam allegationes omnes exhibitæ ſunt, judex ultima earum parti adverſæ ad inſpiciendum decreta, litigantibus diem octavum ad acta rotulo concludenda definito.

§. 314.

Allegatione a parte una tempore ſtatuto non exhibita, pars altera, ſi volet, acta rotulo concludi poſtulato; judex parti utrique diem octavum in id ſtatuito.

§. 315.

§. 315.

Integrum esto parti uni, usque dum altera rotulum actorum quærat, elapso quamvis termino allegationem suam edere, a die quæsiti rotuli non amplius admittendam, nisi eadem die, qua rotulus quæritur, edatur.

§. 316.

Judex virum e judicio delegato, quo præsente rotulus actorum conficiatur. Delegatus is jussas inrotulationes protocollo adcurate notato.

§. 317.

Pars unaquæque communicatas sibi scripturas adversarias earumque allegata ad rotulum edito, neque, ut aliæ edantur, permittere tenetur: neutra pars autographa edere tenetur, nisi adversarius vitia in iis visibilia reprehenderit.

§. 318.

Rotulus actorum horis judicii consuetis conficitor; atqui ubi horam unam, poſtquam judicium agi coeptum eſt, una pars adhuc abſit, pars altera cum delegato e judicio viro aut rotulum perficito, editis propriis ſuis allegationibus earumque adjunctis, aut prorogationem diei ad perficiendum rotulum poſtulato, intentata apta parti adverſæ mulcta, ni ſcripturas ſibi communicatas ea die ad rotulum edat.

§. 319.

Abſente parte utraque nec edocta clientum ipſorum ſubſcriptione deſertæ inrotulationis cauſſa, delegatus ad conficiendam inrotulationem abſentiam eam judici oſtendito; judex, dictata parti utrique conveniente mulcta, inrotulationem in tertium poſtea diem, intentato mulctæ duplo, ſi iterum abſint, patrato.

§. 320.

§. 320.

Scripturarum omnium & allegatorum justa descriptio seu index conficiatur, cui pars utraque, & delegatus a judice subscribant: descriptionem eam seu indicem pars utraque domi, si volet, confectum in promtu habeat.

§. 321.

Ubi in inrotulatione de edendo ad acta instrumento aliquo contradictio oriatur, instrumentum ipsum ad acta edendum est, notatis simul iis, quæ pars adversa contradixerit.

§. 322.

Judici, ubi actorum inrotulationi præesse ipse nequit, delegatus e judicio ad eam rem acta rotulo conclusa continuo tradito.

§. 323.

In processu verbali descriptio seu index documentorum ab utraque parte allegatorum & ad rotulum editorum confici-

ficitor, notato adcurate titulo & die cujusvis documenti, & partis edentis nomine, atque is index a ligitantibus ſive eorum patronis ſubſcriptus protocollo adjungitor.

CA-

CAPUT XXIV.

De ſententia.

§. 324.

Lites judex, quantum poteſt, maturando ſententia definire ſatagat.

§. 325.

Judex litis conſortes omnes, qui vel ſcripta actione allegationibus ſubſcriptis, aut mandatis nomina edidere, vel verbali proceſſu die ſtatuta per ſemetipſos vel per procuratorem comparuere, ſententia ita exprimito & nominato, ne de iis imposterum dubium eſſe poſſit: mercatorum ſocietates ſat eſto eo nomine deſignare, quod vulgo & in publico negocia-

torum albo ſeu protocollo præ ſe ferunt. Nominatis partibus, cauſſam, de qua agitur, clare & diſtincte enunciato. Deciſio ipſa partium petito conſentanea, perſpicua, brevis eſto, præteritis decidendi rationibus, ſeu motivis.

§. 326.

Si ſententia parti uni ad finiendam litem quid injunxerit e. c. probationem, jusjurandum & ſimilia, judex tempus, quo id ex præſcripto codicis judiciarii præſtandum ſit, & damnum conſequens, ni inſtituta res ea fuerit, ſententia exprimito. Ubi vero ex facto parti jus aliud, quam quod ea petito ſuo expreſſerat, competere appareat, jus id parti ei ſententia reſervare fas eſto.

§. 327.

Sententiæ partibus neque in judicio prælegendæ, neque publicandæ ſunt, ſed vel ipſis vel earum procuratoribus in manus a judice quamprimum inſinuandæ.

§. 328.

§. 328.

Sententiæ, contra quam ulterior juris via patet, latæ rationes judex, indicatis allegationum in cauſſa editarum momentis, paratas habeto, ut partibus, ſi id petant, in cancellaria ſaltem intra tres dies ab inſinuata ſententia computandos edi poſſint; opiniones ſeu vota ſingularia autem in deliberatione cauſſæ forte edita non inſerantur.

CAPUT XXV.

De adpellatione, revisione, & querela nullitatis.

§. 329.

Læsus sententia aut post caussam ex ordine pertractatam, aut ob absentiam aut ob silentium partis unius in contumaciam lata, aut læsum se reputans seu respectu caussæ ipsius, seu obligationis alicujus caussæ accessoriæ, injunctæ probationis, aut cujuscunque conditionis aut saltem sumtuum litis, intra quatuordecim dies ab insinuata sibi sententia, de ea, si volet, adpellato. Ast 1.) de sententia interlocutoria,

toria, quæ cauſſæ principali præjudicium non adfert; 2.) de ſententia, qua injuriæ verbales mutuo tolluntur; 3.) de ſententia in confeſſionem perlata adpellare haud fas eſto.

§. 330.

Adpellaturus adpellationem coram primo ſuo judice introducito. In proceſſu verbali ſat eſt, ſiquis ſententia ſe læſum ore in judicio declaret.

§. 331.

Ubi ſententia capita plura contineat; adpellaturus ea, quibus ſe læſum reputat, in adpellationis introductione clare enunciato; quæ clare non expreſſerit, ea in rem judicatam abeunt, nec mutari amplius poſſunt.

§. 332.

In introducenda adpellatione fas eſto adpellanti gravamina, quibus ſuperſtruitur, aut ſimul, aut libello ſeparato, termino dierum quatuordecim, coram eo-

dem judice edere. Quo termino præterlapſo allegatio gravaminum pro deſerta eſto, adpellatione interim non labefactata.

§. 333.

Libello gravaminum nec circumſtantiæ facti, nec probationes aliæ proponantur, quam quæ in primo judicio ſententia dijudicatæ fuere: nova, quæ moventur, in perferenda ſententia momenti nullius ſunto.

§. 334.

Judex introductionem adpellationis parti adverſæ inſinuato, ut ſpatio quatuordecim dierum exceptionem ſuam edat; introductionem tardius exhibitam non niſi tum, cum pars adverſa interea exſequutionem ſententiæ imploraverit, mox repellito. Quin & poſt decretam exceptionem adpellationem tardius introductam repellito, 1.) ubi mora ea in excepti-

ceptione redarguitur aut 2.) ab adversario exceptio nulla edita sit.

§. 335.

Libellum gravaminum tempore suo editum eodem modo ac exhibitam separato adpellationis introductionem judex parti adversæ insinuato ad edendas uno tenore exceptiones in introductionem simul ac libellum gravaminum.

§. 336.

Exceptio tempore suo edita adpellanti ad inspiciendam eam insinuanda, tardius edita rejicienda est.

§. 337.

Adpellatione oretenus interposita judex partes spatio quatuordecim dierum citato; ubi sententia plurium capitum sit, ea, contra quæ adpellatur, explicato; gravamina, & exceptiones protocollo judicii notato; protocollum id loco actorum adpellationis habetor.

§. 338.

Judex adpellationis introductionem, libellum gravaminum, exceptiones adverſarii, & acta cauſſae omnia, in judicio interea adcurate & ordine ſuo adſervata, & ubi cauſſa proceſſu verbali acta ſit, acta rotulo concluſa una cum ſententia, rationibus decidendi, atque ubi pars utraque adpellationem interpoſuit, conjuncta utrinque ſimul cum relatione ſua judici ſuperiori ex officio remittito. Judex ſuperior cauſſa quam maturrime, & ubi pars utraque adpellaverit, ſententia una definita, ſententiam eam adpellatoriam una cum actis ſibi transmiſſis ad judicem priorem remittito, & ubi ſententiam prioris judicis reformarit, rationes addito, parti, quae id petat, edendas.

§. 339.

In capita ea, de quibus adpellatio expreſſe interpoſita non eſt, elapſo adpel-

pellationis termino petenti victori exsequutionem judex decernito; de quibus adpellatio interposita est, exsequutioni in ea decernendæ, dum sententia adpellatoria definiatur, supersedeto: parti interea victrici, si petat, aut pignore, aut apta cautione alia securitas præstanda est.

§. 340.

Modus peragendæ revisionis idem esto. Ubi sententia primi judicis sententia judicis secundi confirmata est, revisio nulla esto. Atqui ubi sententiam primam secunda partim confirmet, partim reformet, revisioni nonnisi in ea, quæ reformata fuere, locus esto.

§. 341.

Pendente revisione victori caussæ securitatem §. 339. concessam petere fas non est; quæ tamen juxta eundem §. 339. pendente adpellatione facta forte fuerint, ea & pendente revisione immutanda non sunt: quodsi pars, quæ prius adpella-

verat, in judicio revisionis vicerit, pars adversa victrici damnum omne illatum, quod probari potest, rependito.

§. 342.

Integrum esto parti, quae manifestam in sententia nullitatem comprobare se posse confidit, querelam nullitatis movere; ubi vero adpellationis aut revisionis remedium adhuc pateat, querelam eam cum adpellatione aut revisione semper conjungito, terminos edendorum ea de re gravaminum eosdem observato.

§. 343.

Querela nullitatis spatio interponendae adpellationi definito coram judice inferiore instituenda est eodem modo & ordine, qui supra in adpellationis gravamina praescribitur.

§. 344.

Judex superior ex actis sibi remissis inprimis querelam nullitatis expendito, quam si fundatam & comprobatam reperiat,

riat, prætermissa ipsa caussæ definitione, sententiam judicis inferioris nullam declarato, caussam novo judicio & justo ordine retexi jubeto, rationes pronunciatæ nullitatis decreto speciali eidem ostendito.

§. 345.

Judex superior, ubi caussam nullitatis in manifesta judicis inferioris culpa deprehenderit, injuncta judici inferiori damni protractione ea partibus illati & sumtuum restitutione, terminum partibus peremtorium ad edendam damni ejus designationem præfinito, auditoque ea de consignatione justo tempore edita inferiore judice, restitutionis summam ex officio definito.

§. 346.

Eodem tenore judex superior procedito, ubi quamvis non edita nullitatis querela, in definienda adpellatione aut revisione nullitatem ex officio deprehenderit.

derit. At vitia, quae ſubſtantiam cauſſae & modi procedendi non immutant, nec ſententiam cauſſae definitivam impediunt, locum declaratione nullitatis non relinquunt, ſed in judice inferiore ab ſuperiore reprehendenda ſunt, atque ea reprehenſio, ubi cauſſa ad reviſionem deducitur, cum actis reviſionis remittenda eſt.

§. 347.

Nullitatis querelam fundamento deſtitutam judex ſuperior, definita ex ordine adpellationis aut reviſionis cauſſa, rejicito; irrogata, ſi temeraria fuerit, congrua querenti mulcta.

§. 348.

Ubi ab adpellationis judice primi judicis ſententia nulla pronunciatur, tam parti ei, cui ſententia illa favebat, quam judici, quatenus damnum inde illatum ſibi imputatur, quatuordecim diebus ab inſinuata ſibi nullitatis ſententia recur-

ſus

sus ad judicem revisorium patet. Judex revisorius audito judicio adpellatorio, si judex inferior recurrat, quaestionem unice decidito: an restitutio damni jure ipsi injuncta videatur? sin pars recurrat: an sententia ea nullitatis sit confirmanda, aut vero judici adpellationis, ut caussam ipsam sententia definiat, injungendum sit.

§. 349.

Siquis decreto læsum se reputet, is ad judicem superiorem recurrat; judex inferior ad edendas parti petenti decreti sui, contra quod recursus fit, rationes tenetur, easque pars libello recursus sui adjungito. Ubi judex superior super recursu ab inferiore judice officiosam caussæ explanationem exegerit, ejus quoque parti id petenti descriptum exemplar edatur.

§. 350.

Quartodecimo die a die insinuati decreti ejus, contra quod recursus institui-

tuitur, libellus gravaminum ad judicem ſuperiorem deferendus aut transmittendus eſt: ni ſactum fuerit, pro deſerto eſto

§. 351.

Ubi pars ante pronunciationem ſententiæ ab judice ſuperiori decretum inſtituti apud ſe recurſus impetret, aut alia ratione de inſtituto legitime recurſu edoceat, judex inferior a ferenda ſententia ſuperſedeto, non ſuſpenſa interim cauſſæ actitatione.

§. 352.

Judex ſuperior exhibitum ſibi libellum gravaminum ex officio diſquirito, rem quam maturrime decidito.

§. 353.

Confirmato a judice ſuperiore inferioris decreto, ulterior juſtitiæ via nulla patet.

§. 354.

§. 354.

Ubi justam esse recurrentis querelam, aut etiam manifesta judicis inferioris culpa natam judex superior esse animadvertat: si justa sit, decretum reformato: si culpa judicis inferioris nata sit, restitutionem ei damni partibus illati & sumtuum ordine & modo §. 345. praescripto injungito.

§. 355.

Parti adversae & judici inferiori, quatenus decisione ea laesos se credant, integrum esto ad judicem revisorium recurrere, observato juxta §. 348. statuto recurrendi termino.

CA-



CAPUT XXVI.

De transactione tentanda.

§. 356.

Transactio vel in judicio, vel extra judicium iniri poteſt. Ob tentandam transactionem cauſſæ actitatio retardanda non eſt, niſi pars utraque communem ſuum ea in re conſenſum judici declaraverint. Quæſitus tamen ab una alterave parte judex ad officium ſuum redito.

§. 357.

Judici transactionem decenter & prudenter tentare fas eſto; importuna par-

partium compellatione, aut interposita auctoritate sua ne fas esto: transactionem ab una parte scripto aut voce renunciatam continuo abrumpito.

§. 358.

Transactio vel in judicio ab utraque parte implorata, vel ab judice justa opportunitate, partibus quamvis non implorantibus, tentata nec progressionem caussae, nec actum aliquem judicialem sistere potest, nisi partes consentiant. Definita semel a primo judice caussa, transactio nulla in judicio tentari potest, nisi si ambae partes eam requirant.



CAPUT XXVII.

De arbitris.

§. 359.

Litigantibus integrum esto in arbitrum compromittere; nec rata tamen, nisi scripto condita ea compromissio esto: ab scripta compromissione recedere neutri parti absque alterius consensu fas esto.

§. 360.

Judex caussæ, vel is, cui jus est suffragii in ea caussa, arbitri non sunto. Arbitrium recipere nemo tenetur; qui autem recepit, is caussam judicato.

§. 361.

§. 361.

Arbiter eo ordine, in quem partes convenere, in pertractanda cauſſa utitor: ubi nullum præcepere, ordinem eum, quem codex judiciarius præcipit, obſervato.

§. 362.

Ubi litigantes diſerte compromiſerint ſe laudo ſtaturos, renunciato omni ulteriori recurſu; lex eſto, ut laudum ab arbitro editum, quatenus intra limites demandatæ ſibi poteſtatis ſe tenuerit, exſequantur, nec quisquam niſi ob manifeſtum dolum contra illud a judice audiatur.

§. 363.

Non renunciata diſerte ab litigantibus ulteriore gravaminum via, a laudo ad judicem adpellationum recurrere non liceto, ſed fas eſto parti utrique, pronuntiato laudo, cauſſam ad judicem primum competentem deferre & proſequi,

ac ſi ab arbitro nunquam pertractata & deciſa fuiſſet. Actio ea quartodecimo die ab inſinuato laudo non edita pro deſerta eſto.

§. 364.

Controverſia quoque de abuſu poteſtatis arbitro demandatæ ad judicem ordinarium primum termino eodem dierum quatuordecim deferenda, delataque ex præſcripto §. præcedentis, quatenus irritum laudum eſſe reperiatur, dijudicanda eſt.

§. 365.

Exſequutio laudi ab arbitro concepti nunquam non ab judice ordinario expetenda eſt: arbiter concedendæ exſequutioni nunquam ſe immiſceto.

CAPUT XXVIII.

De arresto personali.

§. 366.

Caussa nondum definita exsequutio decerni nulla potest: contra fugæ ob præstandam rolutionem suspectos decerni arrestus personalis pro cautione potest.

§. 367.

Itaque casu eo si petens arrestum documenta alleget, quæ, agnita a debitore, creditum plene comprobarent; corporis custodiam, quam petit, in debitorem judex statim decernito.

§. 368.

Probatione ſufficiente non allegata, ni cuſtodiam petens damnum & ignominiam cuſtodiendi ſatisdet; arreſtum judex ne decernito.

§. 369.

Arreſtum judex is decernito, qui cuſtodiendi legitimus & competens eſt, niſi ſi cuſtodiendus aut fugæ jam paratus, aut fugitivus ſit.

§. 370.

Judex pro ſua prudentia videat, an is, in quem cuſtodia corporis decreta eſt, domi ſuæ, an publice, aut qua alia ratione cuſtodiendus ſit? At vero, qui publicam corporis cuſtodiam redimere cupit, ſumtus in privatam cuſtodiam neceſſarias identidem ante erogato.

§. 371.

Quandocunque cuſtoditus cuſtodiam impetranti ejus rei, quam petit, cautio-

nem

nem præstiterit, judex arrestum solvito, quamvis cautio ea solummodo in casum fugæ, aut latitationis præstita fuerit. Si dubium sit de sufficienti quantitate propositæ cautionis, rem judex, audita parte utraque quam maturrime, & pro re nata die de re ea constituto conficito.

§. 372.

Ubi petens custodiam corporis postulatione sua simul actionem ex ordine instituat; judex caussam indilatam, si fieri potest, intra tres dies definito: actione ea simul non edita, postulans spatio dierum quatuordecim, quamvis non urgente custodito, eandem edito.

§. 373.

Actione justo tempore non prodita, custoditum judex id postulantem custodia statim solvito, injuriæ & damni sibi illati æquam compensationem decernito: lex eadem esto, si quem custodiam corporis in alterum non jure petiisse deciditur.

CAPUT XXIX.

De interdicto rei mobilis.

§. 374.

Eodem modo creditori fas esto rem debitoris mobilem, quæ est in manu tertii, pro ratione crediti interdicto constringere, siquidem creditori a debitore nulla alia ratione sibi satisfaciendi periculum exsistat.

§. 375.

Rem curru publico veredario mandatam, quæ extra provincias Germaniæ hæreditarias non exportatur, ante factam rei ejus traditionem, uti & eam, in quam exsequutioni (§§. 413. 414.) locus non est, interdicere ne fas esto.

§. 376.

§. 376.

Si interdictum petens documenta alleget, quæ a debitore agnita creditum plene comprobarent, interdictio petita ſine mora decernenda eſt.

§. 377.

Probatione ſufficiente non allegata, ni petens ignominiam & damnum debitoris ſatisdet, interdictum judex non decernito.

§. 378.

Si debitor in loco eo moretur, ubi res mobilis interdicenda, & judex ejus competens eſt; petitionem de interdicendo coram judice eo creditor edito. Ubi alio in loco ſit, quam quo res eſt interdicenda; creditor vel in loco eo, ubi debitor eſt, coram judice ejus perſonali, vel in loco, ubi res eſt, debitor autem non eſt, coram judice loci petitionem interdictionis inſtituito.

§. 379.

§. 379.

Interdictione decreta, judex eum, in cujus manu res eſt, decreto admoneto, ut ne rem eam, in quam fide ſua præſtandam decreto eo obſtringitur, alteri tradat; atque is admonitus, quamvis alia ſub jurisdictione ſit, inſinuato rite ſibi decreto, non exſpectato alio judicis ſui competentis mandato, obtemperato.

§. 380.

Ubi res, in quam interdictio decernitur, in cuſtodia judicii ſit; judex decretam interdictionem libro rerum depoſitarum notato, aut a judice eo, in cujus cuſtodia res eſt, fieri id petito, judex petitum id ſtatim concedito.

§. 381.

Ubi interdictum in pecuniam decernitur, debitori ex publico aliquo ærario, ſeu caſſa perſolvendam; judex decretum illud continuo & per ſe ærario illi, ſeu caſſæ inſinuato, addito nomine & conditio-

tione interdictum implorantis, nec non debitoris & explicata diſerte crediti qualitate; quo perfecto decreta ea interdictio in caſſa ea continuo prænotanda eſt. Aſt eodem tempore judex de decreta interdictione officioſam inſinuationem illi officio edito, cui caſſa, ad quam pervenit interdictio, ſubfuerit.

§. 382.

Res interdicto conſtricta, corruptioni obnoxia, vel conſervando dispendioſa, petente una, alterave parte, prævia æſtimatione ſub haſta publica vendenda eſt: pretium rei perſolutum cuſtodiæ judicis demandator.

§. 383.

Præſtita quandocunque a debitore idonea crediti ſecuritate, judex petente eo interdictum ſolvito: dubium forte motum, an cautio ea idonea ſit? quantocius & pro re nata die ejus rei cauſſa conſtituto ſolvito.

§. 384.

Quarto decimo die ab decreta interdictione petitor, quamvis non urgente adverſario, actionem crediti, cujus cauſſa interdictum quæſivit, ſingularem coram judice eo, a quo interdictionem petiit, edito. Quodſi interdictum eo in loco petatur, ubi res interdicenda exſiſtit, debitor autem non exſiſtit; petitor eo in loco, vel coram judice debitoris competente pro arbitrio actionem inſtituito, de inſtituta vero actione coram judice debitoris perſonali judicem eum, a quo interdictum impetravit, intra quatuordecim dies edoceto.

§. 385.

Non edita juſto tempore actione, aut non edocto intra finitum tempus ſecundum paragraphum præcedentem judice rei, a quo interdictio decreta fuit, de actione coram judice debitoris perſonali edita; interdictum judex, petente debitore

tore ſolvito, ignominiæ & damni ei allati æquam ſatisfactionem creditori injungito. Actione creditoris de interdicenda re debitoris non fundata, judicium idem eſto.

§. 386.

Actionem ſatisfactionis peculiarem debitor editurus coram judice, a quo interdictio decreta eſt, durante ea interdictione, ſoluta vero ea coram judice competente ejus, qui interdictum obtinuit, edito.

CA-



CAPUT XXX.

De
ſequeſtratione, aliisque mediis proviſoriis.

§. 387.

Ubi inter litigantes dubia & controverſa juris, aut rei poſſeſsio ſit, & neutra pars jus id poſſeſsionis ſtatim probare poſsit; judicii, in quo lis pendet, judex, petente una, alterave parte ſequeſtrationem rei litigioſæ decernito, aut, ubi fieri id poteſt, rem in cuſtodiam ſuam avocato.

§. 388.

§. 388.

Ubi actor jus, aut rem vindicat a reo poſſeſſam, & periculum a reo imminere comprobet, rei pendente lite alienandæ, perdendæ, aut corrumpendæ; fas eſto actori, ſequeſtrationem rei ejus a judice petere, oblata nempe cautione idonea damni reo forte inde orituri: judex diem ea de re ſtatuito, exceptiones rei audito, &, ſi periculum comprobatum ſit, præſtita ſecuritate idonea, ſequeſtrationem decernito.

§. 389.

Res quoque, ab actore quamvis non adſerta, ſed a reo jure dominii poſſeſſa, quocunque caſu in reum arreſtum perſonalem decernere fas eſt, ſequeſtrari poteſt.

§. 390.

Impetrata ſequeſtratione partes intra decem & quatuor dies a die decretæ ſequeſtrationis, vel inſinuatæ cognitionis de

de constituendo sequestre inter se conveniant, eumque, in quem convenere, judici iisdem quatuordecim diebus proponant.

§. 391.

Ubi non convenere, & vel nullum, vel alium pro se quisque proposuerint, judex sequestrem illorum periculo constituito.

§. 392.

Sequestrem judex peculiari semper decreto nominato, monitum, ut rem sequestratam, aut jura qua diligens paterfamilias gerat, fructus eo pendat, quo judex pro cautela, auditis partibus jusserit.

§. 393.

Sequester triginta minimum dies a fine cujusvis anni rationes gestæ & procuratæ rei judici reddito; redditas judex parti utrique in manum actoris, ni aliter inter se convenerint, ad eas adprobandas

vel

vel improbandas communicato: abſolvendarum earum modus idem, qui reliquarum rationum, eſto.

§. 394.

Si fructus rei immobilis jure aliquo pignoris in creditum aliud adfecti ſequeſtro vinciuntur; ſequeſter uſuras, aliasve penſiones annuas, quoad fructus iis ſufficiunt, e fructu perſolvito, ſalvo jure actoris ſequeſtrarii nonniſi in fructus reſiduos.

§. 395.

Actori jus eſto petere, ut credita ſua in bona immobilia rei libris publicis huic fini deſtinatis prænotentur, ne, donec cauſſa definitur, ab alio prævertatur, & jure prioritatis cadat: itaque jus ei pignoris conditionatum inde quæritur, quod porro conſequente crediti liquidi ſententia a die factæ prænotationis vim obtinet.



CAPUT XXXI.

De exſequutione.

§. 396.

Exſequutionem judex non decernito, niſi 1.) in ſententiam ante perlatam; 2.) in conventionem in judicio initam; 3.) in notionem a vectigalium præfectura conceptam, in quam (§. 69.) provocationi locus amplius non eſt; 4.) in definitionem a domino privato officiali ſuo ob redditas rationes declaratam, legitimo juris effectu (§. 169.) præditam; 5.) in mandatum a poteſtate politica datum, quo damnum ſubdito colono a domino gravato reſtituendum decernitur.

§. 397.

§. 397.

Quodſi actio documento nitatur, quod ex præſcripto hujus legis judiciariæ plenam fidem faciat; judex ad exceptionem rei diem in tempus breviſsimum indicito, cum clauſula, ſe reum, ubi diem deſerat, facti in petitione exſequutionis ab actore editi pro confeſſo habiturum.

§. 398.

Reo creditum agnoſcente, judex exſequutionem ſtatim decernito. Ubi vero reus exceptiones adferat, de quibus ſententia ſtatim pronunciari poteſt, judex cognita partis utriusque allegatione cauſſam definito: reo quamvis documentum agnoſcente, attamen ſolidas & ulterius perveſtigandas, nec ſententia cauſſæ definitiva ſtatim reſolvendas exceptiones allegante, cauſſam in conſuetum actionis ordinem redigito, actori interea, quatenus cautione idonea deſtituitur, exſequutionem in cautionem neceſſariam decerni-

 to,

to, capto etiam, ſi opus eſt, pignore in re ea de cauſſa forte in judicio depoſita conceſſo.

§. 399.

Tempus, quo debitor ſatisfaciat, ſententia, aut conventione definiatur.

§. 400.

Tempus ſatisfaciendi paciſcentes inter ſe pro arbitrio finiunto; judex ſententia diebus quatuordecim circumſcribito a die inſinuatæ ſententiæ, a qua ulterior juris via adſumta non eſt, aut adſumi non potuit; niſi ſi quis actionem omittere, aut laborem aliquem præſtare teneatur, tunc enim priori in caſu terminum nullum indulgeto; poſteriori in caſu, terminum pro neceſsitate operæ præſtandæ aptum figito.

§. 401.

Termino eo præterlapſo jus eſto actori coram judice eo, qui ſententiam pronunciavit, aut coram quo conventio ini-

ta

ta eſt, aut ubi poſteriores tres caſus §. 396. tribus numeris 3. 4. & 5. explicati exſtiterint, coram judice perſonali exſequutionem petere, eamque judex decernito, prout ſequitur.

§. 402.

Si reus bonum immobile actori cedere teneatur, judex petente eo decernito, ut in dominium ejus actori tradatur, atque ita ſententia, vel conventio libris publicis, prout in quolibet loco jus in re adquiritur, inferatur, & actor in poſſeſsionem rei immobilis immittatur.

§. 403.

Decretum illud judici illi, ſub cujus jurisdictione res immobilis eſt, cum literis requiſitoriis uno eodemque tempore ſtatim & immediate transmittito, atque is decretum illud exſequutioni continuo demandato, actorem in ipſam poſſeſsionem boni immobilis mediis, ſi qua ad cogendum neceſſaria ſunt, aptiſsimis inducito.

§. 404.

Si actori reus jus reale in rem ſuam immobilem tradere tenetur, judex petente eo, ſententiam, conventionemve libris publicis modo eo, quo in ſingulis locis jus in re adquiritur, inferri decernito; judex, cujus ſub jurisdictione res eſt, decretum ſine mora exſequatur.

§. 405.

Si reus a judice condemnatus ſit, ad tradendam actori rem mobilem in ſpecie, judex petente actore apparitorem mittito, qui rem eam a condemnato auferat, actorique traditam acceptam perferat.

§. 406.

Si res ea in manum alterius devenerit, fas eſto actori, rem ab eo, in cujus manu eſt, ad modum codicis civilis in judicio petere, aut contra reum actionem in pretium rei, quod probari poteſt, et damni inde ſibi illati movere. Idem jus eſto, ſi res ipſa amplius non exſiſtat.

§. 407.

§. 407.

Reo condemnato ad tradendam actori rem aliquam mobilem in genere, reo rem ejus generis poſsidente, judex ab actore quæſitus apparitorem mittito, ut a reo tantumdem auferat, quantum actori debetur, eique id traditum acceptum perferat.

§. 408.

Ubi res talis in facultate rei non ſit, judex actori permittito, rem ſimilem modo parti utrique quam maxime innocuo comparare, & enatum inde ſibi damnum a reo repetere, aut vero in pretium rei, quod probare poteſt, & damni ſibi inde illati actionem reo moveto.

§. 409.

Ubi actori reus opus præſtare teneatur, quod perfici ab alio poteſt; judex actori permittito, ut opus id ab eo, qui perficere poteſt, minimo partis utriusque ſumtu confici curet, & damnum a reo

repetat; aut vero in pretium rei, quod probare poteſt, & damni dati actionem reo actor moveto.

§. 410.

Si opus ab alio perfici non poſsit, judex petente actore reum mulcta pecuniaria, aut poena alia ad ſatisfaciendum cogito, integro actoris jure, ni opus ipſum expreſſe exigat, pretium operis & quanti intereſt, juſta actione repetendi.

§. 411.

Reus ubi actori certam pecuniæ ſummam debet, actor in petenda exſequutione bona ea debitoris deſignato, ex quibus ſatisfieri ſibi cupit; eadem quoque creditori in bona debitoris optio eſto, quamvis jure aliquo pignoris crediti ſecurus ſit.

§. 412.

Si penſionem, ſeu ſtipendium debitori ab ærario aliquo publico pendendum adpetat; judex, ut penſio ei pro rata

cre-

crediti perſolvatur, decernito, decretum id ærario illi ſtatim & immediate inſinuato, nomen & conditionem actoris & rei cum qualitate crediti decreto eo clare exprimito; officium illud, cui caſſa ea ſubjacet, de decreto eo ſimul ex officio edoceto. Decretum id a caſſa ea ſtatim prænotandum, & creditori ex penſione ea, ſeu ſtipendio, cum dies penſionis ſolvendæ venerit, ſatisfaciendum.

§. 413.

In ſtipendia & penſiones officialium publicorum exſequutioni pro dimidia tantum parte locus eſto.

§. 414.

Reditus beneficii eccleſiaſtici in exſequutionem cadere aliter non poſſunt, quam ut beneficiato ex iis floreni trecenti annui ad ſuſtentationem ſalvi ſint. Penſiones fundationum, porro proviſiones quas vocant, & elemoſinæ ab exſequutione eximuntur.

§. 415.

§. 415.

Actor, ſi crediti jus, quod reo mutui, depoſiti, aut alio nomine in privatum competit, in ſolutum accipiat; creditum id judex actori, quoad ſuo ipſius credito ſatisfiat, in dominium adtribuito, hunc in finem apparitori injungito, ut chirographum crediti ejus a reo auferat, & actori, ſi creditum ab actore repetitum non exſuperet, tradat, aut, ſi exſuperet, adtributionem factam in chirographo notet, chirographum debitori reſtituat.

§. 416.

Si creditum illud in dominium adtributum in re immobili oppignoratum ſit; judex, ſub cujus jurisdictione res eſt, edoctus ſimul & immediate literis requiſitoriis a judice cauſſæ de adtributione decreta, petente actore, in libris publicis eam adnotato eo modo, quo jus in re in loco quolibet adquiritur.

§. 417.

§. 417.

Actor factam adtributionem debitori rei apographo authentico inſinuato; ni fecerit, jure regreſſus nullo eſto in debitorem, qui creditum reo antea perſolverit.

§. 418.

Reus de nomine vero in ſolutum adtributo caveto, niſi litem ob creditum illud enatam reo denunciare actor neglexerit.

§. 419.

Reus quoque nomen id, quod in ſolutum adtributum eſt, bonum eſſe, ſeu exigi poſſe pro eo tempore, quo pendi aut exigi debeat, caveto. Atqui ſi actor creditum illud juſto tempore non exigat, cautio ea exſtinguitur. Itaque reo etiam de ſecuritate crediti actori ſuo adtributi ſibi proſpiciendi, donec ſolutionis ejusdem dies venerit, jus eſto.

§. 420.

Si creditum ita traditum controversum fiat, aut si actor, decreto pignore, rem non sufficientem credito suo apud debitorem novum invenerit; fas esto actori alia primi debitoris sui bona actione exsequutoria adpetere.

§. 421.

Jus quoque creditori esto, pignoris in credito, quod reo privatus debet, & ulterioris exsequutionis, prout infra de exsequutione in res mobiles præscribitur.

§. 422.

Actor ubi exsequutionem in fructus, aut reditus rei immobilis petat, judex petenti jus pignoris in re ea concedito, & simul decernito, ut sententia, aut conventio, siquidem in fructus rei immobilis exsequutio destinata sit, in libros publicos referatur, prout in loco quovis jus in re adquiri solet, & porro ad percipiendos fructus, vel reditus eos sequester

con-

conſtituatur. At judex, cujus ſub jurisdictione res ea immobilis eſt, ab judice cauſſæ, inſinuata nempe immediate ſibi ſententia de conceſſa prænotatione literis requiſitoriis ſimul edoctus prænotationem eam ſtatim fieri jubeto.

§. 423.

Sequeſtrem judici actor proponat; propoſitum judex parti adverſæ indicato cum decreto, ut exceptiones ſuas, ſi quas in ſequeſtrem ſibi indicatum moveat, ſpatio tridui edat; exceptionibus non editis, ſe propoſitum ſequeſtrem ſtatim confirmaturum. Exceptionibus editis, judex partes ambas ſine mora citato, &, ubi in ſequeſtre diſſentiant, ſequeſtrem ipſe nominato. Cæterum debitæ creditoribus hypothecariis uſuræ ex præſcripto §. 394. perſolvendæ ſunt.

§. 424.

Lex eadem eſto exſequutionis uſurarum, aut reditus crediti in rem immobilem

lem prænotati, quæ de exſequutione fructuum, aut reditus fundi §. 422. dicta eſt. At ſequeſtre ea in re opus non eſt, ſed ſat eſt, ſi præter prænotationem in libris publicis de adjudicata creditori adtributione uſurarum is, a quo perſolvendæ eæ ſunt, decreto judicis moneatur.

§. 425.

Si fructus ſeu reditus, qui in certa pecuniæ ſumma conſiſtunt, ob creditum non prænotatum in exſequutionem cadant; judex absque ſequeſtre fructus, reditusve eos actori pro rata crediti tradendos decernito ex caſſa, aut ab eo, cui pecuniæ hujus exſolutio incumbit, de decreto eo ſimul & immediate admonendo, creditori pro apocha perſolvendos.

§. 426.

Si bono immobili actor exſequutionem intentet; judex petenti jus pignoris, ni jus id ex præcedente prænotatione

jam

jam obtinuerit, concedito cum decreto, ut ſententia ea, aut conventio modo ad adquirendum reale jus ubivis idoneo libris publicis inſeratur; judex, cui bonum id immobile ſubeſt, conceſsionem eam a judice cauſſæ ſimul & immediate literis requiſitoriis ſibi inſinuatam ſtatim exſequitor.

§. 427.

Conceſſo actori pignoris jure, ubi ulterior exſequutio petatur; actor unaquaque petitione gradum oſtendito, in quem exſequutio proceſſerit.

§. 428.

Facta prænotatione & adquiſito inde pignoris jure, fas eſto actori rei immobilis a judice eo, ſub cujus jurisdictione res eſt, æſtimationem ſtatim petere, a judice eo continuo decernendam, & ex præſcripto capitis XVII. inſtituendam.

§. 429.

§. 429.

Ubi neutra pars triginta dies post confectum æstimationis instrumentum a die eo, quo instrumentum illud obtineri fas erat (id quod instrumento eo in cancellaria notandum) venum proponi bonum immobile petat; actor bonum æstimationis pretio sibi habere, reus actori relinquere tenetur; auditis tamen antea creditoribus prænotatis iis, quibus æstimationis pretium non sufficeret, an bonum illud quisquam eorum parata solutione actori præstanda pretio, quo æstimatum fuit, accipere & sibi habere, aut hastæ publicæ subjicere velit. Quo prætermisso in bono adtributo jus pignoris creditoris non auditi inlæsum esto.

§. 430.

Audiendis creditoribus iis pro diversitate locorum, ubi morantur, terminus idem, qui reo ad edendam exceptionem

fini-

finiendus eſt, quo elapſo amplius non audiantur.

§. 431.

Actori porro bonum accipienti, ubi pretium emti, vel æſtimati boni immobilis exſolverit, bonum ex præſcripto §. 402. & 403. tradatur.

§. 432.

Si intra dies triginta pars una, vel altera ſubhaſtationem petat, judex ſubhaſtationem eam in dies triginta decernito, diem, horam, locum finito. Ubi in publicatione ea nec majore, nec eo, quo æſtimatum fuit, pretio emtorem repererit; judex non ultra quæſitus eodem modo ſecundam, ſi in ſecunda nec æſtimationis pretio emtorem invenerit, tertiam ſubhaſtationem edicito, bonum minore etiam, quam quo æſtimatum fuit, pretio vendito, actori quamvis ipſi licenti.

§. 433.

Attamen ſi in ſubhaſtatione rei immobilis frugiferæ pretium æſtimatione inferius offeratur, quod non omnibus usque in pretium æſtimationis prænotatis creditoribus perſolvendis ſufficiat, rem immobilem pretio eo minore venire judex non permittito, ſed pro norma, quæ bonis in concurſu alienandis præſcripta eſt, rem pertractato.

§. 434.

Ubi in tertia ſubhaſtatione pretium nemo offerat; integrum eſto actori aut bonum ſequeſtratione conſtringere, aut novam ſubhaſtationem petere, cujus ſubhaſtationis norma eadem, quæ tertiæ eſto.

§. 435.

In ſubhaſtando bono immobili majore prudenti judicis arbitrio permittitur terminum primum in dies ſexaginta, atque etiam nonaginta prorogare, termi-

nos

nos vero reliquos duobus vel ternis diebus ante, vel poſt diem trigeſimum finire; at vero, ne tempus ternæ ſubhaſtationi præſcriptum plus juſto excedat, caveto.

§. 436.

Judex ſubhaſtationis edicto conditiones, quibus bonum alienetur, clare pronunciato, & ſimul edicito, plus offerentem credita bono inhærentia pro rata pretii oblati in ſe recipere debere, ſiquidem debitores ante ſtipulatam forte renunciationem crediti ſolutionem accipere detrectent.

§. 437.

Edicta ſubhaſtationum tres dies ad ſummum a ſubhaſtatione decreta pro recepto cujusvis loci more publice proponenda ſunt.

§. 438.

Ut ſubhaſtatio rata & valida ſit, judex creditori unicuique in bonum præno-

tato decretum primæ ſubhaſtationis tempore eodem, quo edictum proponit, transmittito; niſi ſi plus licens prænotationes omnes in ſe recipiat.

§. 439.

Documentum, quo oſtendatur, quanti bonum id æſtimatum ſit, quæ ei onera incumbant, & quas in conditiones alienetur, judex in cancellaria adparato, licitantibus inſpicere & deſcribere permittito.

§. 440.

Ruri præſente una ſaltem perſona judiciali & ſcriba, in oppidis & municipiis ſaltem coram duabus perſonis judicialibus & ſcriba uno auctio peragatur.

§. 441.

Si offerens unus pluresve conveniunt, facto prius claro indicio de pretio æſtimationis, onerum, quæ in bono immobili ſunt, conditionum, in quas alienetur, auctio inchoanda eſt.

§. 442.

§. 442.

Ubi in pretium a licente uno oblatum alius non ultro licetur, præco pretium id oblatum *pro prima vice* ſæpius exclamato, ut plus offerenti poteſtas licendi fiat: plus offerente nemine pretium illud *pro ſecunda vice* iterato exclamato; atque ita, prout a licente alio pretium augetur, nec pauculo intervallo quisquam ultra licetur, repetitis vicibus idem ingeminato. Pretium nec in ipſo ſubhaſtationis actu oblatum, aut quamvis ipſo in actu oblatum numero non definitum pro nullo eſto.

§. 443.

Ubi in ipſa ſubhaſtatione unus, pluresve licitantium ſpatium ad deliberandum petant; quarta pars iis horæ una tantum vice ad rem eam concedenda ad ſummum eſt.

§. 444.

Proclamato pro ſecunda vice pretio a licente uno oblato, ultra quod nemo amplius offerat, præconium idem a præcone quinque minutis continuandum & interrogandum eſt, an nemo plus offerat? atque ubi poſtea plus nemo liceatur; auctio præconio ultimo expreſsis a præcone verbis *pro tertia vice*, terminanda eſt, & bonum plus offerenti, ſervato tamen §. 433. addicendum, quamvis offerentium unicus fuiſſet, nec ultra pretium æſtimationis, atque in tertia etiam auctione pretium æſtimatione inferius obtuliſſet.

§. 445.

Ubi pretium idem a duobus oblatum a nemine amplius licendo auctum fuerit, præferendus eſt is, qui pretium primus obtulit.

§. 446.

Licens, qui pretium quidem minus, attamen aestimatione non inferius & parata pecunia obtulerit, praeferendus est illi, qui pretium majus, sed stipulatis solutionis terminis offert, nisi si ipsum auctionis edictum solutionis terminos discreverit, aut ab eo, in cujus satisfactionem bonum subhastatur, illi solutionis termini ultro concedantur.

§. 447.

Debitori in subhastatione liceri fas non esto. Nemini, ac ne creditoribus quidem prae alieno emtore praerogativa in licendo esto, nec subhastatione finita contra plus offerentem jus ullum retractus in bonum emtum exerceri potest.

§. 448.

Jus, si quod alteri est, bonum subhastatum ex pactis specialibus in eo praenotatis certa pecuniae summa reluendi, ante subhastationem judici ostendito &

comprobato. In ipſa auctione aut poſt eam jus id peremtum eſto.

§. 449.

Si ſtatis ad ſolvendum temporibus emtor, cui bonum addictum fuit, exacte non ſatisfaciat; bonum, ubi creditor, aut debitor id petant, periculo ſuo & ſumtu absque nova æſtimatione, & conſtituto termino unico, ſalvo tamen §. 433., pretio etiam minore, quam quo antea æſtimatum fuit, & ſub haſta alienandum eſt. Quodſi ante ipſam auctionis horam partes pretii, quæ ſolvendæ reſtant, & impenſas ex mora ſua ortas parata pecunia exſolvat, auctioni ipſi ſuperſedendum amplius eſt.

§. 450.

Emtorem in bonum judex prius non immittito, niſi quum integrum emtionis pretium depoſuerit, aut ratas ſolutiones idonea cautione ſatisdederit, aut cum iis, quorum intereſt, alio modo transegerit.

§. 451.

§. 451.

Actor exſequutionem in rem debitoris mobilem petens res eas ſimul indicato, in quas exſequutionem deſtinet; nec fas ei eſto, veſtem debitoris neceſſariam, aut inſtrumenta, quibus victum quotidianum ſibi & familiæ ſuæ neceſſarium quærit, exſequutione conſtringere: in reliquam vero ſupellectilem neceſſariam, & quæ debitor exercendæ profeſsioni ſuæ opus habeat, & quorum vel penuria gravi damno, vel alienatio ignominiæ ſibi futura eſſet, exſequutionem judex, niſi quum alia ſatisfaciendi ratio iniri nulla poteſt, non concedito.

§. 452.

Actori exſequutionem ita petenti judex pignus judiciale, ni pignore ſibi tradito actor jam ſecurus ſit, concedito, adparitorem, ut id capiat, mittito, edoctum probe, & admonitum de officio ſuo, ſic ubi actor optionem in re debitoris mo-

mobili §. priori contrariam faciat, aut manifesto plures, quam quae credito suo sufficiunt, res pignore constringat.

§. 453.

Adparitor pignus capturus, quamprimum jussio ea ipsi traditur, sub imminente ipsi damni, quod negligentia sua oriatur, praestatione, una cum actore, aut ejus procuratore ad debitorem se conferat, traditoque ipsi pignoris capiendi decreto res pignore alligandas describat. Quo facto actori jus pignoris in res eas reipsa adquiritur.

§. 454.

Adparitor res pignore captas, ubi actor id petat, periculo ejus tertio custodiendas tradito, aut ubi res sint pretiosae, nec transferri difficiles, in custodiam judicis absportato; sat est alioquin, si apud ipsum debitorem conclusae sigillo judiciali impresso adserventur, atque etiam, ubi creditor adquiescat, res pi-

gnore

gnore captæ, ceu equi, vaccæ, & ſimiles, curæ debitoris & uſui relinqui poſſunt.

§. 455.

Adparitor, ubi nec debitorem domi ſuæ, nec alium quemquam inveniat, qui res pignore capiendas ipſi proferat; caſum judici e veſtigio renunciato, a quo, ſi opus fuerit, cum fabro ſerario & cuſtodibus remiſſus pignus in domo debitoris continuo capito.

§. 456.

Quodſi reus ipſe, aut alius quispiam exſequutioni vi reſiſtere auſit; caveat adparitor, ne res ad jurgia & manus proſiliat, ſed repugnatorem judici confeſtim denunciato, qui neceſſaria coactionis media adhibeat, & contemtorem poteſtatis judiciariæ juſta in aliorum exemplum pœna corripiat.

§. 457.

§. 457.

Capto pignore adparitor judici, quæ perfecerit, ſignificato, eique deſcriptionem rerum pignore captarum exhibeto, in cancellaria adſervandam, & partibus, ſi id petant, deſcribendam.

§. 458.

Aeſtimationis, adtributionis, ſubhaſtationis & alienationis rerum mobilium eadem, quæ immobilium norma eſto, reſtricto tamen auctionum termino quolibet ad dies quatuordecim: neque vero etiam judex obligatur, ut pretium ſummum pro re oblatum ſpatio quinque minutorum repetito præconio proclamari faciat, aut licenti quadrantem horæ ad deliberandum (§§. 443. & 444.) indulgeat, ſed fas ipſi eſto ſpatia ea poſtrema pro ſuo arbitrio reſtringere, ſi res licitationi propoſita non nimii pretii ſit.

§. 459.

§. 459.

Ubi actor teſtimonio adparitoris comprobat, rem debitoris pignore captam credito ſuo non ſufficere, aut ſi oſtendat rem nullam debitoris comparere, in quam pignorationem dirigat; judex, petente eo, debitori profeſſionem rerum ſuarum omnium ſpatio tridui edendam, intentata ipſi publica corporis cuſtodia, decreto injungito: quo triduo elapſo, nec profeſſione edita cuſtodiam corporis, petente actore, in reum decernito, & pro more cujusvis loci recepto perpetrari jubeto.

§. 460.

Reditus, qui debitori ad dies vitæ competunt, ſufficiens in cautionem actoris bonum cenſentor, ideoque eum ab arreſto liberant, ſi modo actori intra tres annos ex reditu eo ſatisfieri poſſit, aut delegari in ſolutum reditus eos ſibi conſenſerit.

§. 461.

§. 461.

Ubi exſequutio ſalarii in officialem ſummi principis, ſtatuum provinciæ aut civicum decernitur; decretum id ſuperiori ejus ſine mora ſignificandum eſt.

§. 462.

Si debitor publice cuſtoditus alere ſe ipſum non poſſit; actor, ſi cuſtodiam ejus continuare velit, alimenta cuſtodito præbeto, impenſis in diem ad ſummum duodecim, ad minimum ſex crucigeris.

§. 463.

Nemo ultra annum in cuſtodia publica ob æs alienum detineatur, ſiquidem non interrupto tenore & loco cuſtodiæ publicæ ſolito annum cuſtodiæ expleverit. Cuſtodia ob alimenta non præſtita ſoluta ab creditore eodem repeti amplius non poteſt.

§. 464.

Ob æs alienum poſt annum publicæ cuſtodiæ contractum nova corporis cuſtodia alterius anni decerni jure poteſt.

§. 465.

Si debitor creditorem ad credendum falſo prætextu induxerit, aut rem ſuam occultando, aliove modo doloſe egerit; judex ex præſcripto codicis poenalis agito.

§. 466.

Mandata omnia & decreta exſequutoria ſigillo judicii ſignanda ſunt.

CA-



CAPUT XXXII.

De moratorio & pacto præjudiciali.

§. 467.

Moratorio locus non esto.

§. 468.

Nec pacto præjudiciali locus esto, quo creditores partem crediti remittere coguntur, nisi siquis tertius creditum ex implorata ab debitore remissione residuum in se se receperit, & recepta ea solvendi obligatio creditoribus utilior sit, quam sperata ex debitoris sui principalis bonis satisfactio.

§. 469.

§. 469.

Qui hoc modo alterius debita in ſe recepit, is petente vel uno creditorum jurejurando confirmato, ſe nec cum debitore ejusve cognatis, aut aliquo creditorum per ſe aut per alios, inſciis creditoribus reliquis, ſecreta colluſione tranſegiſſe. Itaque & obligatur, ut creditoribus ex pacto præjudiciali inito ſatisfaciat, aut de promiſſa perſolutione idoneam ſecuritatem præſtet.

§. 470.

Creditores, quibus jus aliquod prælationis eſt, aut qui pignoris jure gaudent, & ſolo pignore ſuo acquieſcere volunt, pacto accedere non tenentur: cæteri ſuffragia majora ſequantur.

§. 471.

Suffragia majora non pro numero perſonarum, ſed pro rata crediti computantor. Quodſi credita inter ſe paria ſint eorum & qui pacto adſentiunt &

qui diſſentiunt; potiora ſuffragia numerus perſonarum definit. Ubi vero ſuffragia pacto conſentientium & diſſentientium tam pro rata crediti quam pro numero perſonarum utraque ex parte æqua ſint; diſſentientium ſuffragia potiora ſunto.

§. 472.

Priusquam ad majora ſuffragia accedere aliquis a judice cogatur, creditores ii, qui ſuffragiis ſuis majora efficiunt, credita ſua contra curatorem a diſſentientium parte, majori ſuffragiorum numero, conſtitutum liquido & jure comprobanto. Tum & petente creditorum unico debitor jurejurando confirmato, ſe nec a re ſua quidquam intervertiſſe, nec creditum finxiſſe, aut cum quoquam creditorum ignotam cæteris conventionem iniiſſe.

§. 473.

Pactum præjudiciale a judice eo imploratur, cui debitor per ſe ſubeſt.

§. 474.

§. 474.

Pacto præjudiciali implorato, judex creditores omnes edicto publico ex officio citato, admonitos fore, ut abſentes, quatenus jure aliquo prælationis aut pignoris ſecuri non ſint, majoribus præſentium ſuffragiis adnumerentur. Reſpectu rerum debitoris judex ea peragito, quæ publicato concurſu peragenda ſuperius præcipiuntur.

§. 475.

Pacto eo cum creditoribus inito, neque in perſonam, neque in rem debitoris, quæ pacto eo ſibi ſuperfuerit, aut quam poſtea adquiſiverit, ob partem crediti alicujus pacto eo remiſſam jus quodquam alteri eſto, niſi peculiari clauſula cautum id fuerit, aut dolus in pacto oſtendatur.

§. 476.

Ubi ex deſcriptione facultatum mercatoris pateat, creditores plus quam duo-

decim de centum disperdere, judex nulla habita conditionum, siquæ sint, pacti cum creditoribus futuri ratione, officium, cui spectat, commoneto, ut prolabentem mercaturam eam de foro tollat.

§. 477.

Quamvis creditores cum debitore transegerint, ubi debitor doli convictus, confessus, aut justis de caussis suspectus sit; judex pacto non obstante contra debitorem ex officio procedito eumque debita poena mulctato.

CA-

CAPUT XXXIII.

De bonorum cessione.

§. 478.

Obærato, si per fortunæ injurias, nec culpa sua solvendo non sit, jus esto, a judice petere, ut pro cessione omnium bonorum suorum 1.) ab exsequutione personali liberetur; 2.) vestis, lectus, supellex relinquatur, quantum sibi, uxori, liberis, quibus prospectum nondum est, necessum sit; 3.) denique ut alimenta necessaria, in diem sex, ad summum duodeviginti crucigeri pro capite, sibi, uxori, & liberis nondum colloca-

tis concedantur. Mortuo eo, nec uxori, nec liberis ejus jus amplius in beneficia ea esto.

§. 479.

Alimenta debitor ne petito, nisi ab sequentibus creditoribus, & ordine eo, quo sequuntur: 1.) ab iis, qui rem ex mera debitoris liberalitate repetunt, ceu donatarius; 2.) ab consanguineis ascendentibus & descendentibus; 3.) ab conjuge, quacum debitor pacato in matrimonio vivit, aut culpa conjugis divortium fecit; 4.) a fratribus sororibusve germanis & consanguineis vel uterinis.

§. 480.

Consanguineis ascendentibus & descendentibus, uxore, fratribus sororibusve egenis, aut si debitor alimenta parare sibi ipse possit, id quod judici inprimis expendendum est; debitori jus non esto alimenta ab iis repetere.

§. 481.

§. 481.

Bonis cessurus debita sua omnia, bona sua omnia scripto consignato, duplicemque eam descriptionem cum suppli- ci libello contra creditores suos directo judici, cujus jurisdictioni subest, tradito, & quae jus sibi est petere, petito.

§. 482.

Judex die ea de re constituto de petitione debitoris cognoscito, ambage omni proscripta.

§. 483.

Bonis cedens statum bonorum & debitorum suorum, quamvis petente creditorum unico, jure jurando confirmato, & jurato promittito, se debitis suis pro viribus satisfacturum, ubi ad meliorem fortunam pervenerit.

§. 484.

Jus esto debitori, qui fortunae injuria bonis lapsus est, e re post factam ces-

sionem adquisita tantum sibi retinere, quantum sibi, uxori, & liberis non collocatis necessarium est, respectu scilicet anteriorum eorum creditorum, quibus bona sua cessit.

§. 485.

Si debitor profugus solum vertat; latitet; verum infortunium non demonstret; conscius quamvis sibi de non solvendo, aliis tamen creditoribus satisfaciat, securitatem præstet, æs alienum novum contrahat; nec bona sua omnia, nec debita veraciter professus sit, aut quoquo modo dolose egerit, in debitorem eum ex officio, & pro re nata ex præscripto codicis poenalis proceditor.

§. 486.

Quamprimum professio de non solvendo facta est, judex non exspectato diei §. 482. constituti eventu concursum edicito.

CA-

CAPUT XXXIV.

De restitutione in integrum.

§. 487.

Restitutionem in integrum codex judiciarius ei dat 1.) in cujus damnum terminus culpa non sua lapsus est; 2.) qui decisione læsus post eam justa probandi argumenta repererit, quæ nec scire antea, nec invenire poterat. Ob terminum vero gravaminum & exceptionum adpellationis & revisionis desertum restitutioni in integrum locus non esto.

§. 488.

In prima restitutionis specie intra quatuordecim dies post lapsum terminum

ab eo die, quo decretum aliquod durante termino peremtorio exſequendum vel parti vel advocato ejus innotuit, & impedimentum exſequendi ejus decreti ceſſavit, computandos reſtitutionem in integrum petito: prætermittens termino eo reſtitutionis implorationem audiendus ultra non eſt. In altera reſtitutionis ſpecie læſo reſtitutio ſalva eſt, quoad jus ejus ipſa præſcriptione non tollitur.

§. 489.

Quamvis læſo jus foret reſarcitionem damni ab advocato ſuo aut altero repetere, & quamvis reſarcitionis ejus ſecurus eſſet; liberum tamen ipſi eſto, reſtitutionem in integrum petere.

§. 490.

Reſtitutio in integrum in primo judicio ſemper petenda eſt, coram quo cauſſa vel adhuc agitur, vel acta jam eſt, expreſſo certo petitæ reſtitutionis in integrum fine.

§. 491.

§. 491.

Petita restitutione in integrum contra latam antea decisionem, idem restitutionis ejus qui reliquarum actionum procedendi modus esto.

§. 492.

Quodsi contra lapsa fatalia termini peremtorii restitutio tempore justo ex præscripto §. 488. petatur; judex ea de re diem in breve tempus statuito, auditaque parte utraque petitam restitutionem decreto vel concedito vel denegato.

§. 493.

Si primus, secundusve judex restitutionem in integrum decreto det, decreto eodem novum quoque terminum peremtorium ad perficienda ea, ob quæ restitutionem in integrum dedit, præfinito, nec fas esto de eo decreto amplius provocare. Itaque recursus non datur, nisi, quum judex petitam restitutionem denegaverit.

§. 494.

§. 494.

Reſtitutione ſeu data ſeu negata, pars ea, quæ reſtitutionem petivit, parti alteri ſumtus ob eam impenſos, decreto ob eam rem ſimul definiendos, rependito. Quodſi prodatur, partem partisve advocatum terminum negligenter deſeruiſſe; judex negligentiam illam peculiari poena reprehendito, advocato indolenti, ut parti utrique ſumtus ex ſuo rependat, injungito.

§. 495.

Reſtitutio in integrum petita contra deciſionem antea perlatam deciſionis ejus exſequutionem nunquam impedit: petita contra lapſum fatalium, usque dum definiatur, cauſſam ipſam interpellat & cohibet.

§. 496.

Terminus edendæ provocationis (§. 69.) de notione concepta peremtorius eſt, quem ſi provocans culpa non ſua deſerit,

ferit, restitutionem in integrum intra dies quatuordecim petito: ni petat, provocationi locus amplius non est. At vero etiam contra notionem, quæ in judicatum abiit, restitutio in integrum pendente præscriptionis tempore peti potest, si reus qua actor jus suum justis argumentis comprobando notionem eam evertere velit.

CA-



CAPUT XXXV.

De feriis.

§. 497.

Diebus Dominicis & festis; a festo nativitatis usque ad Epiphaniam; a Dominica palmarum usque ad diem secundam paschatis; tribus rogationum diebus; ultimo decendio Julii & primo decendio Octobris feriæ sunto.

§. 498.

In ferias diem constituere & agere fas non esto, nisi quum judex periculum aut damnum ob moram parti alicui imminere videat. Quodsi nihilominus in feri-

ferias dies conſtituta ſit, & litigantes ſe ſiſtant; quæ die eo acta & a judice pronunciata fuerint, ea rata ſunto: contra ſententiam vero in contumaciam latam parti, quæ abſens fuerit, querela nullitatis patet.

§. 499.

Die etiam feriato allegationes ſcriptas offerre in judicio, easque adverſæ parti inſinuare nunquam non liceto.

§. 500.

Contra reum in ſummæ alicujus ſolutionem damnatum fas eſto actori tempore etiam feriarum pignus in judicio petere & capere, exceptis tamen diebus Dominicis & feſtis: capto pignore ſi eo ſecurus ſit, donec feriæ labantur, ulteriori exſequutioni ſuperſedendum eſt.

§. 501.

Ob caſus reliquos, qui capite XXXI de exſequutione recenſentur, exſequu-

tio

tio in feriis quoque peti & impetrari poteſt; at judex in definiendo termino ad opus ab aliquo præſtandum feriarum, & pro conditione perſonarum meſſis & vindemiæ juſtam rationem habeto.

CA-

CAPUT XXXVI.

De inſinuatione decretorum & ſententiarum.

§. 502.

Quodvis judicis decretum in cauſſa litigioſa aut in ordine exſequutionis datum judex parti impetranti & adverſæ inſinuato.

§. 503.

Primum in quavis lite decretum reo ipſi in manum inſinuato: quæ conſequuntur, domeſticis ejus tradere ſat eſt.

§. 504.

Adparitor decretum judicis inſinuaturus ubi animavertat, litigantem ſe occultare, januæ ejus ſcriptum adfigito,

quo certa ſe hora ſequentis diei inſinuationis ejus cauſſa præſto futurum eſſe nuntiet. Parte adhuc ſe occultante, ipſum decretum inſinuandum januæ ejus adfigat, atque id pro inſinuatione in manum eſto.

§. 505.

Si plures litis conſortes in parte rei ſint, primum decretum cum libello ejusque allegatis primo ex conſortibus in libello nominato inſinuandum eſt, tradita reliquis rubrica libelli cum decreto deſuper dato, quibus proinde poteſtas ſit libellum ipſum cum allegatis apud eum, cui inſinuatio facta fuit, inſpiciendi.

§. 506.

Siquis pendente lite habitationem mutet; is partem adverſam ea de nova habitatione tempeſtive atque in judicio admoneto: ſi non admoneat; judicis decretum in curia adfigendum, atque id pro ipſa inſinuatione eſto. Sed adparitor

do-

documenta ad decretum pertinentia penes se adservata ei, cui insinuari debuissent, si adparuerit, tradito.

§. 507.

Ubi plures in una alterave parte consortes litis sint; adversae parti consortem eum nominanto, cui decreta ulteriora a judice edenda insinuari velint: si consortem eum non nominent, insinuanda ei sunt, qui primus in prima allegatione scripta nominatus fuerit.

§. 508.

Ubi una alterave pars in loco judicii domicilium non habeat, si actor fuerit, cum libello primo edito, reus vero ante finem termini ad edendam exceptionem statuti virum aliquem, cui decreta judicii insinuari possint, in loco eo constituito, eumque adversae parti nominato; ni faciat, impensas ob insinuationem factas absque ulla quidquam ex iis imposterum recuperandi spe solus praestato:

interea, qui decretum a judice impetravit, ſumtus ad inſinuationem ejus neceſſarios erogato.

§. 509.

Actor ubi extra provincias hæreditarias moretur, aut domicilium ejus in provinciis iis incognitum ſit, procuratorem in loco judicii conſtituito, aut vero, non impetrato antea & ſuſpenſo decreto ordinario, ut id faciat, monendus eſt.

§. 510.

Actor ubi adſerit reum extra provincias hæreditarias morari, aut ubi moretur, ignotum ſibi eſſe, nec judici rei domicilium intra provincias eas notum ſit; judex reo periculo ejus & ſumtu curatorem conſtituito, eique edicto id publico ſignificato, ut conſtituto ſibi curatori documenta ſua aut defenſionis media communicet, aut procuratorem alium judici deſignet. Qui provincias hæreditarias deſerens judici ſuo procuratorem antea indicat,

cui

cui ea, quae insinuanda forte sibi sint, ita insinuari possint, ac si ipsi in manum insinuata fuerint: is a publico eo edicto liber esto. Caeterum si actor convincatur rei domicilium studio celavisse; actio tota nulla esto, sumtus omnes ob edictum & curatorem constitutum factos rependito, apta insuper mulcta corripiendus.

§. 511.

Quodsi domicilium rei extra provincias haereditarias notum sit; praeter publicationem ex §. priori instituendam actio ipsa in eum edita per cursores publicos ei transmittenda est, facta transmissionis fide edita a cursuum publicorum officio apocha.

§. 512.

Si parti in provinciis haereditariis habitanti insinuatio fit per cursores publicos; pars ea in antapocha receptionis factae sibi & receptae insinuationis diem notato. Ubi antapocham eam pars

edere nolit, aut latitet; judex de re ea teſtimonio officii publicorum curſuum edoctus idem decernito, ac ſi domicilium partis ignotum omnino foret.

§. 513.

Procuratori a parte una alterave deſignato decreta judicii legitime inſinuantur, eousque dum procurator alius deſignatur.

§. 514.

Scripta omnis allegatio, quæ parti adverſæ communicari debet, in duplo exhibenda eſt, additis exemplari uni documentis omnibus allegatis: utraque eodem decreto inſcribenda.

§. 515.

Judex allegationem decreto inſignitam cum documentis omnibus adjunctis adparitori quamprimum tradito, qui eam parti, contra quam edita fuit, ſtatim inſinuet; duplicatum vero allegationis ejus, poſtquam factam adverſæ parti inſinuationem

nem in duplicato eo adparitor notaverit, editori allegationis insinuato.

§. 516.

Si decretum pluribus litis consortibus insinuandum sit, editor allegationis rubricam pro numero consortium repetitam notata uniuscujusque habitatione allegationi suae adjungito: judex perscriptum in quavis rubrica decretum consorti unicuique per adparitorem insinuato.

§. 517.

Testibus nec allegatio, nec rubrica decreto inscripta insinuanda est; id modo judicii nomine significandum iis est, ut tempore ad dicendum testimonium statuto in judicio se sistant.



CAPUT XXXVII.

De terminis.

§. 518.

Terminum primum lex dat & circumscribit; ulteriores prudentia judicis non arbitraria, sed aequa & probata necessitate fundata definiat.

§. 519.

Ubi decretum a judice praefinito termino pars exsequi non possit, ante terminum eum finitum ulteriorem petito, impedimenta & tempus amplius necessarium verosimiliter edoceto.

§. 520.

Si lex diserte jubeat, partem elapso justo termino audiendam amplius non esse; judex terminum eum ne prorogato, petitam prorogationem continuo denegato. Alias fas esto judici, quamvis non audita adversa parte terminum prorogare, si prorogatio tota, sive prima, sive iteratis vicibus petita & impetrata tempus ipsum a lege definitum non excedat.

§. 521.

Ubi petita prorogatio terminum legitimum excedit, neque prorogationem eam judex continuo denegandam esse censeat; partem alteram audito: quam si pars ea indulgeat, judex denegare non potest, nisi animadvertat, indulgeri eam a connivente caussidico in detrimentum inscii nec consentientis clientis sui, quo casu consensum clientis, seu partis ipsius exquirat. Parte ea in petitam prorogationem non consentiente, prudenti judi-

cis

cis arbitrio relinquitur, an & quatenus ad audiendam partem utramque, examinandamque prorogationis necessitatem dies constituendus, in eoque, aut etiam non auditis partibus prorogatio in procinctu vel concedenda, vel deneganda a se sit. Itaque seu det, seu non det prorogationem, decreto dato, vel denegato; contra quod decretum parti, quae laesam se reputet, recursus ad judicem superiorem patet.

§. 522.

Terminus omnis post diem illum, quo parti, cui datus est, aut advocato partis ejus in loco judicii commoranti insinuatio facta est, computandus est. Idem esto de terminis, qui absentibus conceduntur; neque enim facta cursori publico decreti insinuandi traditio pro insinuatione ipsa est. At vero prorogatio quaevis post diem ultimum prioris termini, cujus prorogatio petitur, computanda est.

§. 523.

§. 523.

Dies feriati nec termino a lege, nec a judice dato imputantur, excepta adpellationis, aut revisionis introductione, & provocatione in caussis §. 68. & 70. recensitis, in quibus & feriati dies legitimo dierum quatuordecim termino includuntur.

§. 524.

Allegationes scriptas, quas lex ad superiorem judicem dirigit, pars judici illi tempore præscripto exhibeto, aut transmittito: non exhibitæ justo tempore, nec transmissæ præcluduntor.

§. 525.

Post denegatam prorogationem dies omnes a priore termino residui, qui a die petitæ prorogationis termini nondum effluxerant, parti prorogationem petenti restituuntur.

§. 526.

§. 526.

Terminus cum ultimo die exſpirat, ultima diei hora, qua curia judicii patet. Attamen actus omnis, cui inſtituendo terminus aliquis datus eſt, usque in eum diem, atque etiam ipſo illo die, quo pars adverſa jus ſibi ex deſerto termino natum judici demonſtrat, inſtitui & edi valide poteſt.

CA-

CAPUT XXXVIII.

De expenſis judicialibus.

§. 527.

Cauſſa victus ſumtus litis victori rependito, niſi ſi judex juſtis rationibus adductus ſumtus inter utrumque compenſando exæquet. Compenſationem ſumtuum judex ne decernito: 1.) ſi cauſſa victus factum proprium, litis deciſivum contradixerit, ejusque facti convictus fuerit; 2.) ſi contra diſerta legis verba litigaverit; 3.) ſi in cauſſa principali non responderit; 4.) ſi edita probatione nulla delatum a ſemet adverſario jusjurandum litis deciſivum adverſarius præſtiterit; 5.) ſi

con-

contra ſententiam primi judicii adpellatione uſus fuerit, & cauſſa iterum in ſecundo judicio ceciderit, quo caſu ſumtus adpellationis ſemper præſtato.

§. 528.

In cauſsis cum procuratore fiſci, in quibus fiſcus ad expenſas condemnatur, ſumtus litis a publico eo ærario, cujus cauſſa agebatur, præſtandi, ideoque a taxarum fundo rependendi ſunt. In cauſsis vero ſubditorum, quas fiſcus defendit, ſubditus cauſſa victus ſumtus litis victori adjudicatos pendito. Ubi fiſci adverſarius ad expenſas condemnetur; ſumtus litis eodem modo ærario pendendi ſunt, ac ſi advocatus cauſſam egiſſet.

§. 529.

Advocatus pauperi ex officio datus, ſi pars adverſa ad reſtituendos litis ſumtus condemnetur, ab eadem pro deſervito ſuo ſolvendus eſt.

§. 530.

§. 530.

Item, qui litem ante ſententiam deſeruit, judex ad ſumtus litis eum condemnato.

§. 531.

Econtra cui una ſententia favit, a judice ſuperiore ad expenſas primi judicii condemnari nunquam poteſt.

§. 532.

Litigantem, cui in lite acceſſoria ſumtus litis regulæ ſupra definitæ injungunt, judex in definienda ea lite ad ſumtus eos condemnato.

§. 533.

Judex ſeu inferior, ſeu ſuperior, parte quamvis non petente, ſumtus litis inter utramque vel diſerte compenſato, aut alteri repetendos adjudicato. In ſolis ſententiis interloquutoriis, quibus probatio ordinaria per teſtes admittitur, de adjudicandis expenſis usque ad ſententiam cauſſæ definitivam judex ſuperſedeto.

§. 534.

Judex expensis, quas parti uni adjudicaturus est, eadem sententia modum statuito; itaque pars quælibet, intentata sibi, ni faciat, expensarum jactura, consignationem earum actis adjungito.

§. 535.

Scripta a parte ipsa vel ab advocato propria in caussa condita eodem honorario æstimanda sunt, ac si ab alio composita fuissent.

§. 536.

Sumtuum solummodo itineris ejus, quod in caussa ex arbitrio judicis necessarium vel a judice præscriptum sit, restitutionem decernere judici fas esto.

§. 537.

Actor, ubi in provincia ea, in qua lis agitur, sufficientes eum habere facultates vulgo non compertum sit, reo ante litis contestationem idoneam cautionem sumtuum litis præstato, aut jurejurando obla-

oblato parem se præstandæ ei cautioni non esse confitetor: ni faciat; judex eum ab adversario quæsitus, non retardata principali caussa, decreto ad hoc vel illud compellito.

§. 538.

Ubi in peracta caussa, aut adpellatione & revisione interposita manifestam partis unius alteriusve injustitiam, pernegatis præsertim veris rei circumstantiis, & falsis pro vero adductis, judex deprehenderit; partem eam, patronumve ejus mulcta pecuniaria culpæ adtemperata, aut poena corporali corripito.



CAPUT XXXIX.

De advocatis.

§. 539.

In advocatorum coetum nemo adſciſcitor neque in urbe, nec in municipiis & ruri, qui lauream doctoris in univerſitate aliqua provinciarum hæreditariarum conſequutus non fuerit.

§. 540.

Qui ad officium advocati adſpirat, annis XXIV. major eſto, & in judicio adpellationum provinciæ ejus, ubi officium id exercere cogitat, deſiderium ſuum profitetor, unaque cum diplomate impetrati doctoris gradus teſtimonium ul-

ulterius advocati legitime conſtituti de comparata per tres ſaltem annos in cauſſis judiciariis praxi, præſtitaque in ea diligentia, capacitate & probitate exhibeto.

§. 541.

Judicium adpellationum adſpirantis ſcientiam juris theoreticam, nec non peritiam ejus in adplicanda lege judiciaria & reliquis patriis legibus omnibus gravi & ſevero examine tentato, in mores & probitatem ejus adcurate inquirito, ubi idoneum eum reperiat, advocatum creato.

§. 542.

Advocatus in patrocinium cauſſæ adſcitus inprimis conſiderato, an cauſſa ea juſta & æqua, ideoque patrocinio digna ſit; atque eum in finem, antequam patrocinium cauſſæ ſuſcipiat, ſi pro actore poſtulaturus eſt, inquirito: 1.) quid is in cauſſa principali & acceſſoria poſtulet?

2.) quo modo actionem, ejusque actionis ſingulas circumſtantias comprobare poſsit? 3.) an in circumſtantiam hanc vel illam ſcripta documenta exſtent? 4.) ubi ea exſiſtant? 5.) quis adſertæ alicui facti circumſtantiæ interfuerit? 6.) in quas circumſtantias jusjurandum actor offerat? 7.) & in quas idem reo forte deferendum ſit?

§. 543.

Item advocatus pro reo poſtulaturus actionem inprimis probe examinato, exceptiones actioni contrarias, quatenus ex facto aliquo oriuntur, adcurate expendito, documenta exceptionis circumſtantias comprobantia exquirito.

§. 544.

Advocatus pro actore reove poſtulaturus plenam & adcuratam facti ſpeciem, & circumſtantiarum a cliente ſuo allegatarum ſeriem ſcripto contexito, ejusque facti ſpeciei ab cliente ſuo, ſi ſcriben-

bendi gnarus ſit, ſubſcriptæ exemplar a ſemet ipſo ſubſcriptum clienti id petenti transdito, autographum ipſum, quandocunque quæratur, judici oſtendito, ita tamen, ut, ſi parti adverſæ ea facti ſpecies communicata non fuerit, in definitione cauſſæ momenti nullius ſit.

§. 545.

Porro pro ratione circumſtantiarum præcipue explorato: 1.) annon plures forte conſortes actio oſtendat? 2.) num qui ſub curatela ſint? 3.) qua ratione neceſſaria inſtrumenta & documenta conquirenda & comparanda ſint? 4.) cujus ſub jurisdictione reus ſit? 5.) an forte in plures actio inſtituenda ſit? 6.) ſi qui illorum ſub curatela ſint? 7.) an lis alteri denuncianda ſit? 8.) num forte quoad cauſſæ definiatur, aliis juris remediis providendum ſit?

§. 546.

Advocatus ſuſcepto cauſſæ patrocinio diligenter videat, ut mandato procuratorio ſeu ſpeciali in hanc, ſeu generali in omnem cauſſam, propria clientis uniuscujusque manu ſubſcripto, inſtruatur. Mandatum procuratorium advocatus non acceptet, ni pars ſubſtitutum nominet, aut mandatario facultatem alium ſibi ſufficiendi tribuat, mandantisque hæredes ſimul complectatur. Deficiente etenim hujusmodi mandato judex ſcriptam ab advocato allegationem nullam, niſi in cauſſa gravioris momenti, & ubi periculum in mora ſubverſetur, recipito, obligato interim advocato, ut mandatum procuratorium ſuperius præſcriptum allegatione ſecunda producat. Deficiente quamquam in mandato hæredum commemoratione ſubſecuta mandantis mors litem ipſam haud ſiſtit; id quod in cauſ-

ſa

ſa omni controverſa per mandatarium acta pro norma eſto.

§. 547.

Ubi advocatus præceptum aliquod §§. prioribus enunciatum neglexerit, factumque pars oſtendat, quod, quum doceri debuiſſet, ab advocato prætermiſſum fuerit; circumſtantias, quæ, quum pernegari debuiſſent, ipſe non negaſſet; documenta, quibus, quum uti utiliter debuiſſet, uſus non fuiſſet; præſumtio pro cliente contra advocatum eſto.

§. 548.

In peragendis cauſſis advocatus codicem hunc judiciarium quam exactiſſime obſervato; in allegationibus ſcriptura clara & perpicua, nec ultra modum extenſa utitor.

§. 549.

Abvocatus gravi ſub culpa & pœna, nullo reſpectu dignitatis & auctoritatis perſonæ, contra quam poſtulatu-

rus eſt, nec abſque juſta excuſationis cauſſa patrocinium declinato, ſuſceptum vero diligenter & fideliter, non condonata partis adverſæ procraſtinatione, continuato, nec absque gravi cauſſa litem non definitam deſerito; atqui ſi juſtæ cauſſæ deſerendæ ſibi litis ſint, patrocinium parti in judicio renunciato, partem tamen a die inſinuatæ renunciationis ejus toto termino ad edendam exceptionem finito procurato, niſi ſi pars ea alium ſibi patronum antea adſciverit.

§. 550.

Ubi ſubſtitutum pars ipſa non deſignaverit, ſubſtitutum advocatus parti adverſæ nominato, qui vel mortuo, vel abdicanteſe, vel impedito advocato eo litem proſequatur, donec pars ipſa patronum alium ſibi advocaverit. Cæterum ſubſtitutus mandato ei procuratorio ſubſcribat, ut oſtendat ſe ſubſtitutionem eam acceptare.

§. 551.

§. 551.

Advocatus patrocinium utriusque partis eodem tempore, eadem in cauſſa ne gerito, nec partem ea in cauſſa procurato, in qua partem alteram antea procuraverat.

§. 552.

Advocatus in cauſſa jam concluſa & definita nec digreſſione uti, nec novam cavillationem ordiri auſit.

§. 553.

Advocatus in caſum victoriæ palmarium peculiare et determinatum ſibi dari ab cliente ne paciscitor, nec cauſſæ pendentis ab eo ſibi demandatæ redemtor eſto; pactum ita initum non modo irritum, ſed advocatus etiam peculiaris poenæ reus eſto.

§. 554.

Advocatus editæ ultimæ allegationi, uti & adpellationis vel reviſionis allegationi mercedis ſuæ & expenſarum

consignationem addito, ea forma, ut linea ea, cui deservitum aut expensum pro scriptura aut actu aliquo advocati inscriptum est, in lineam aliam excurrat, in qua judex quantum moderatum itidem adnotet.

§. 555.

Eadem ratione advocatus constituto die eo, in quo caussa definitur, post definitionem eam deservitum suum & expensas aut scripto aut voce ad protocollum edito. Quod ni advocatus faciat, & judex ob non editam consignationem partem alteram ad restituendos litis sumtus condemnare non possit; advocato expensas factas & deservitum suum sententia diserte adimito, & quod forte a cliente suo ejus rei caussa anteceperit, clienti restitui diserte jubeto.

§. 556.

Judex caussa victum ad restituendos litis sumtus condemnando deservitum &

ex-

expenſas ab advocato partis contrariæ conſignatas eadem ſententia modo legitimo circumſcribito: deſervito, quod pars aliqua patrono ſuo debeat, non niſi petente ea, modum ſtatuito.

§. 557.

Opera advocati nec numero foliorum, quæ conſcripſit, nec dierum quos obivit, quidquid ea de re clientem inter & advocatum conventum ſit, ſed genuino ſuo merito æſtimanda eſt.

§. 558.

Judex in æſtimanda ea opera perpendat: 1.) an in comparandis documentis aliisque defenſionis remediis, tum in comprobandis ſolide ſcriptis allegationibus ſuis laborem præcipuum advocatus poſuerit? 2.) an ſcripta ab eo allegatio ſingularem diligentiam & doctrinam non vulgarem comprobet? 3.) an cauſſam cum cura eximia & celeritate, nulla adverſarii tergiverſatione permiſſa,

per-

peregerit? 4.) an in peragenda cauſſa codici judiciario omni ex parte obtemperaverit? 5.) an forte modicæ clientis opes ſtrictiorem in definiendo deſervito & expenſis modum requirant?

§. 559.

Advocatus, quod culpa ſua clienti damnum dederit, omne (nec ſpes veniæ) luito, poena inſuper pro re nata & comprobata adficiendus.

§. 560.

Nimiam advocatorum & prolixam ſcribendi verboſitatem, petulantem cauſſarum protelationem, intricationem, præceptorum legalium irreverentiam, contumelioſam dicacitatem, & quæ finem juſtitiæ & ordinem perturbant, judex primi judicii in advocato reprehendito, & vel ſcripto abſentem, vel præſentem in judicio publice increpato; deſervitum & expenſas ejus modo ſtrictiſſimo coerceto;

ceto; deservitum ei adimito; & quod forte accepit, reddere jubeto; in sumtus litis pecunia sua persolvendos eum condemnato; mulcta pecuniaria, aut corporis custodia domi suæ per dies aliquot mulctato; poenam juste & æque, injunctam non facile remittito, eamque clienti ejus nunquam non indicato. Judicia ruri & in pagis constituta absque judicii adpellationum adprobatione ab decernendis ejusmodi mulctis & poenis abstinento.

§. 561.

Ubi advocatus in vitia ea sæpius recurrat, nec efficax sit primi judicis poena; aut si caussa ad judicem eum deferatur, in qua vel ignorantia, vel turpis lucri caussa manifestam injustitiam patrocinio suo defendit, aut perfidia, arte & fallaciis grassetur; aut vero si pravo vitæ instituto & factis animum vilem,

nec

nec fide publica & civili dignum patefaciat: judex primus advocatum eum judicio adpellationum denunciato, a quo caussa cognita pro ratione reatus vel mulcta congrua pecuniaria vel publica corporis custodia adficiendus, & vel a caussarum patrocinio ad tempus a munere suspendendus, vel removendus omnino est.

§. 562.

Itaque & potestas politica, ubi reatum aliquem advocati compererit, quo probitas ejus & integritas coarguitur, vel quod ære alieno se obruat, advocatum eum judicio adpellationum statim ostendito, a quo cognita caussa vel ad tempus, vel si repetito correctus ad bonam frugem non redeat, ab officio in perpetuum amoveatur.

§. 563.

At vero viri probi, qui grave & utile justitiæ & reipublicæ advocati munus

nus cum vero justitiæ zelo caste, integre, scite perfunguntur, decreto, ubi occasio tulerit, ab judiciis pro merito laudandi & promovendi sunt, iisque patrocinium longiori tempore continuatum, cum laude & honore gestum, in sufficiendis judiciorum ordinibus, pro merito & commendatione esto.

CA-



CAPUT XL.

De judice.

§. 564.

Siquis in tribunali publico ſummi principis aut magiſtratu urbi metropolis munus judicis ambiat; teſtimoniis legitimis comprobato, ſe præſcriptum jurisprudentiæ addiſcendæ ſtudium in aliqua hæreditariarum provinciarum univerſitate omne peregiſſe, & bona cognitionum in quavis jurisprudentiæ parte quæſitarum ſpecimina edidiſſe.

§. 565.

Qui ruri & in municipiis ad munus consiliarii cum salario aut ad justitiarii munus adspirant; jurisprudentiam in lycæo aliquo ditionis hæreditariæ cum profectu se didicisse testimoniis confirment. Quorum defectu viri alii prudentes & caussarum judicialium plurium annorum experientia gnari idem ad munus admitti possunt.

§. 566.

Præter testimonia studiorum requiritur in adspirante unoquoque 1.) ætas viginti quatuor annis major; 2.) morum probitas comprobata; 3.) trium saltem annorum in pertractandis & cognoscendis caussis exercitatio & experientia; 4.) ut adspirans in judicio adpellationum, provinciæ illius, in qua judicis munus agere vult, scientiæ suæ legum patriarum, codicis judiciarii, & styli severo examine periculum faciat. Secun-

dum edita examine eo ſpecimina, decretum adſpiranti capacitatis, aut eligibilitatis prodatur, quo diſerte vel ſufficiens vel eminens ejus capacitas declaretur. Illi tantum, qui publica & crebra capacitatis & experientiæ in rebus ſupra demonſtratis documenta dedere, ab examine illo abſolvi poſſunt.

§. 567.

Eædem requiruntur in fundi domino conditiones, ubi conjunctam cum dominio fundi jurisdictionem per ſemet ipſum exercere velit.

§. 568.

Obærati, in quorum bona concurſus publicus factus eſt, & qui innocentiam ſuam non plane comprobarint, vel quos judex prodigos declarat, incapaces ad ſuſcipiendum judicis munus ſunto, atque etiam a ſuſcepto munere eo amovendi.

§. 569.

§. 569.

Ab officio judicis ſuſpendendi ſunt, in quos ob delictum judex inquirit; atqui ſi delicti ejus damnentur, eo ipſo exauctorantur.

§. 570.

Judex ex munere aliud emolumentum non percipito, quam quod demenſum ſibi fuerit ſalarium. In faciendo itinere pars ea, cujus id cauſſa ſuſcipit, ſumtus ei vecturæ & victus congrui præſtato: at taxæ omnes & mulctæ pecuniariæ in fundum taxarum judicii inferendæ ſunt, nec quidquam ex iis, ſeu ex propria ſeu ex delegata jurisdictione cauſſa apud eum acta ſit, judex ſibi vendicato.

§. 571.

Judex a donis & corruptione caſtus eſto, aut poenam codice pænali ejus rei cauſſa ſtatutam certam timeto.

§. 572.

Judex unusquisque in fine anni caussarum omnium, tam quae apud ipsum pendent, nec definitae adhuc sunt, quam anno eo ab se definitarum numerum edito indice superiori suo exhibeto.

§. 573.

Judex secundum verum & communem verborum legis judiciariae sensum procedito & judicato, nec unquam a clara lege pro arbitrio declinato. Ubi tamen casus aliquis ipsis verbis legis expressus & definitus non sit; casum eum analogia legis in simili casu scriptae dijudicato. Judex caussam contra normam codicis judiciarii protelando, aut litigantibus alia mala officii sui gestione damnosus, damnum datum omne rependito. At laesa pars gravamen id non ordinaria actione, sed coram judice superiore persequitor: judex superior illud adcurate disquirito, dijudicato.

CA-

CAPUT XLI.

De processu cambiali.

§. 574.

Eadem codicis judiciarii universalis in judiciis mercantilibus & cambialibus norma esto, quatenus aliud præsenti capite non statuatur. Forum mercantile Bolzaniense statuto peculiari eidem indulto utitor.

§. 575.

Caussæ, quæ in judico cambiali circa litteras cambiales pertractantur, ad

caussas eas pertinent, quæ pro norma legis processu verbali peraguntur.

§. 576.

In caussis mercantilibus & cambialibus fas esto cambiali judicio ad edendam exceptionem, replicationem & duplicationem terminos breviores, quam quos codex judiciarius universalis definit, statuere. At terminos sine gravi caussa nunquam prorogato.

§. 577.

Literæ cambiales, quæ cum noto negotiationis alicujus publicæ & ad protocollum commerciorum relatæ titulo, quod firmam vocitant, legitime editæ sunt, non est necesse, ut forma ea, quæ §. 182 in chirographo æris alieni requiritur, instructæ amplius sint.

§. 578.

Gyro quoque statutus lege cambiali juris effectus esto, quamvis propria gyran-

rantis manu non conscriptus, attamen subscriptus sit.

§. 579.

Probationis in caussis cambialibus & commerciorum per negotiationis peritos lex eadem esto, quae capite XVII. codicis judiciarii universalis de probatione per artis peritos statuta est.

§. 580.

Rationes decidendi latae in judicio cambiali sententiae spatio viginti quatuor horarum parti sunt communicandae.

§. 581.

Adpellatio ab sententia a judicio cambiali perlata spatio trium dierum interponenda, nec non querela nullitatis, gravamina adpellationis, & exceptio termino eodem tridui edenda sunt. Terminus idem esto in edendis in revisione allegationibus, & in instituendo penden-

te processu ad judicem superiorem recursu.

§. 582.

Persolutionem debiti commerciis aut cambio contracti judex in tres dies sententia edicito.

§. 583.

Exsequutionem in rem debitoris mobilem judicium cambiale non modo concedito, sed etiam perpetrato, delegando virum aliquem e judicio, vel requirendo judicem loci, sub cujus jurisdictione res ea mobilis exsistit, ut exsequutionem eam perficiat. In re debitoris immobili fas quidem esto cambiali judicio exsequutionem eodem modo concedere, at vero eam perpetrare non nisi judici, sub cujus jurisdictione res ea immobilis est, fas esto.

§. 584.

§. 584.

Insinuatio decreti aut sententiæ, quam codex judiciarius in manum fieri alias præcipit, ubi negotiationi alicui facienda est, facienda est ei, cui nomine societatis subscribere jus est.

§. 585.

In judicio cambiali nisi diebus dominicis, festis, & supplicationum publicarum feriæ non sunto.

§. 586.

Qui munus tabellionis seu notarii in judicio cambiali ambit, cognitiones suas in re commerciorum & cambiorum examine publico demonstrato. At vero tabellio, qui præter officia muneris sui propria ad patrocinium caussarum in judicio cambiali, judiciisve aliis suscipiendum adspirat, ex præscripto codicis judiciarii advocatum caussarum admitti & creari se facito.

§. 587.

Mandatum procuratorium negotiationis alicujus edendum & confirmandum est ab eo, cui nomine societatis subscribere jus est.

CAPUT XLII.

De processu in judiciis montanisticis.

§. 588.

Codex judiciarius universalis in judiciis montanisticis idem esto, quatenus ei praesenti capite non derogatur.

§. 589.

Processus verbalis in judiciis montanisticis pro regula esto, nisi ubi litigantes coram judice processu alio uti communi consensu decreverint.

§. 590.

In cauſſis, quæ dominium aut jus aliquod prioritatis fodinarum, cavernarum, meatuum, ſuffoſſionum, cochlearumve, & ſaponariarum, faſtigiationem marginum, transgreſſionem limitum, & controverſum cuniculorum jus concernunt, proceſſus ſcriptus, petente vel una parte, inſtituendus eſt.

§. 591.

Ad caſus eos, de quibus provocationem codex judiciarius dat, accenſendi ſunt etiam caſus ii, ubi de ponendo limite, egerenda glarea, cavernarum menſura, & fodinis liberis vel depuratis agitur. Atque ea in re præcepta ea obſervanda ſunt, quæ in caſus aliquos peculiares legibus montaniſticis & fodinarum feudalibus præſcripta ſunt.

§. 592.

In fodina exædificanda, margine aut palis prætexenda, cuniculo adparando, eru-

eruendo observandæ unice sunt leges montanisticæ, prætermissis iis, quæ in capite de provocatione ob novum opus statutæ sunt.

§. 593.

In probatione per artis expertos in rebus montanisticis partes & judex non obligantur, ut expertis, qui in loco judicii habentur, adquiescant. Partibus liberum esto expertos alios artis & rei montanisticæ judici proponere; at judex nec propositis his expertis adquiescere tenetur.

§. 594.

Quæ peracta inspectione rei montanisticæ arte periti de re ea censuere, opiniones eæ absque mora ulla perscribendæ sunt. Quodsi opiniones eæ in ipsa inspectione scripto confici non possint; partibus liberum esto, ab ea inspectione, antequam conficiantur, discedere.

§. 595.

Ubi inter ſodalitates lis exoritur, ſufficit ſodalitates in ſententia eo nomine deſignare, quo utuntur, & quo in protocollo inſcriptæ ſunt.

§. 596.

Transactio litigantium in judiciis montaniſticis non niſi auditis & convocatis partibus ipſis aut iis partium procuratoribus, qui mandato procuratorio ſcripto libera cum poteſtate tranſigendi inſtructi ſint, tentari poteſt.

§. 597.

In cauſſis, quæ ad judicia montaniſtica pertinent, partibus in arbitrum compromittere alia ratione non licet, niſi ſi ulteriori ſimul liti renuncient; contra laudum arbitri pars nulla audienda amplius eſt, niſi ſi falſum manifeſtum intercеſſerit.

§. 598.

§. 598.

Reditus e re metallica trimestri quovis subducti & depurati sequestro obligari possunt. In metalla vero & mineralia, aliaque, quæ egesta in fodinis adhuc exsistunt fossilia, fodinarum instrumenta, uti & in paratam pecuniam fodinis laborandis aut cibariis destinatam, aliaque ad fodinarum culturam requisita utensilia sequestrum nec peti potest, nec impetrari.

§. 599.

Ubi in fodinis, officinis fusoriis, ustrinis, aliisque, quæ opere continuo exerceri debent, sequestrem institui necesse est; partes primo die, quem judex indixerit, nulla prorogatione concessa, de instituendo sequestre rei perito transigunto, sequestrem, in quem convenere, judici demonstranto: ni fecerint; sequestrem judex eorum periculo nominato.

Ce-

Ceterum ſequeſter is tempore legibus montaniſticis definito rationes ſuas reddito.

§. 600.

Quae de referenda in libros publicos ſententia, decreto, transactione conſtituta ſunt, lex eadem eſto de relatione in rebus montaniſticis in libros judicii montaniſtiços facienda.

§. 601.

Fodinae vel officinae metallicae exſequutione conſtringi non poſſunt, niſi ſi ob creditum, quod exſequutione repetitur, juſta in libros judicii montaniſticos relatione jure hypothecae adfectum, aut ſi debitori alia ſatisfaciendi remedia non ſint. Quae vero ad exercendam fodinam neceſſaria ſunt inſtrumenta, adparatus & ſimilia, in ea exſequutio in ſpecie concedi nunquam poteſt.

§. 602.

Adparitori, qui exsequutionem patraturus ad fodinam debitori adimendam aut pignus in ea capiendum a judice mittitur, delegatus a judicio montanistico vir aliquis rei ejus peritus comes addendus semper est.

§. 603.

In Judiciis montanisticis feriæ aliæ non sunto, nisi dominicis & festis & publicis supplicationum diebus.

§. 604.

Ubi decretum aliquod sodalitati integræ insinuandum est, insinuatio ea sub nomine sodalitatis fodinæ præfecto vel administratori domi ejus, aut si a fodina & societate absens sit, in domo seu diversorio societatis, speculisque, atque ubi in iis nemo, cui insinuatio fieri possit, præsens sit, in diversoriis aliis, tabernisve coram hominibus metallicis, speculatioribus, custodibusque fodinarum facien-

cienda eſt. Qua facta, præfecto fodinarum ſeu adminiſtratori incumbit, ſodalitatem eam de facta ea inſinuatione admonere.

§. 605.

Qui ad ſuſcipiendum cauſſarum in judicio montaniſtico patrocinium adſpirat, ab judicio adpellationum præter conſuetum examen etiam de re & jure montaniſtico examinandus eſt.

§. 606.

Advocatus ubi cauſſam ſodalitatis alicujus procurat, ſat eſt, ſi mandato procuratorio ab ſodalitatis præfecto ſeu adminiſtratore, aut ab eo, cui ſubſcriptio pro ſodalitate delegata eſt, nomine ſodalitatis inſtructus ſit.

§. 607.

Nec judex quisquam in judicio montaniſtico conſtituatur, niſi qui reliquis ad officium judicis requiſitis inſtructus ab

ju-

judicio insuper montanistico modo ei præscripto examinatus fuerit, ab eoque testimonia scientiæ suæ & experientiæ in re montanistica adferat.

CAPUT XLIII.

De processu in judicio militari.

§. 608.

Codex judiciarius universalis in judicio quoque militari idem esto, quatenus praesenti capite aliud non statuatur.

§. 609.

Ut allegationes scriptae in judicio militari editae ab advocato aliquo, quamvis in loco judicii caussarum patroni morentur, subscriptae sint, necesse non est.

§ 610.

§. 610.

In judicio militari processus verbalis pro regula esto; unanimi tamen consensui partium aut prudenti judicis arbitrio relinquitur scriptum processum præoptare.

§. 611.

Protocollum processus verbalis partibus semper prælegendum est, ab iisque quamvis non petentibus subscribendum.

§. 612.

In caussis rationariis rei militaris edictum Maji A. 1783 observandum est.

§. 613.

In caussis pertractandis a judicio militari, quod est sub consilio militari aulico, nulli adpellationi, sed revisioni soli locus esto, nec fas esto ab suprema revisionis sententia quamvis sententiæ primæ reformatoria recursum alium instituere.

§. 614.

§. 614.

Transactio in judicio militari inita in protocollum judicii diligenter & adcurate inferatur, protocollum a partibus transigentibus subscribatur, apographum ejus petentibus ipsis concedatur.

§. 615.

In personas sub judicio militari constitutas publica corporis custodia ob æs alienum contractum decerni jure nequit.

§. 616.

Quæ ad ornatum castrensem & militare munus pertinent, ea nec exsequutione aut pignore constringi, nec debitori auferri possunt. Si nec res debitoris alia mobilis aut immobilis supersit; exsequutioni in stipendium castrense, quatenus lege castrensi seu ordinatione militari conceditur, & in pensiones seu stipendia emeritorum ex præscripto edicti 19 Martii A. 1791. locus esto.

§. 617.

Auditores, seu quæsitores caussarum militarium, quatenus portio aliqua taxarum in supplementum salarii concessa ipsis est, legem de taxis diligenter observanto.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0023723